VITT. EMANUELE

NAZIONALE
VITT. EMANUELE
ROMA
8
42H
13

Digitized by Google

8.H2.H.13

Digitized by Google

Digitized by Google



Petrus, Paulus fauent obſequio. Rhydin Eccl. der



DISSERTATIONUM TRIAS

VIDELICET

De Contritione: De Communione Spirituali: ac de proſcriptis Propoſitionibus à SS. PP.

Iñ. X. Al. VII. Iñ. XI. Al. VIII. & Iñ. XII.

EX MENTE

DOCTORIS ANGELICI

APOSTOLORUM PRINCIPIBUS

CONSECRATA

A. R. P. F. JOSEPHO MARIA PALTINERIO

E Caſtro Montiſſiliſcis Ordinis Prædicatorum

In Generali Studio S. Auguſtini de Padua Baccal, Ord. ac Sancti Off. Conſult.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PATAVII,
Ex Typographia Seminarii.
M. DC. XCVIII.
Corrigente Auctore.

Opera Joannis Manetti.

SUPERIORUM PERMISSU.

Ad usum D. Clementis Blasij Ord. S. Bened. monachi Ferrariæ coemptus die 22. Julij anni 1712.

Digitized by Google

Digitized by Google

DIVIS
COELI JANITORI,
GENTIUMQ; DOCTORI

Devotiſſimus operis author.

Libellum hunc, quem ſupplici dextera ad Veſtros pedes porrigere ſum auſus, Glorioſiſſimi Apoſtolorum Principes; benigno vos ſuſcepturos vultu mihi in animum induco, dum illum ea plenum fide mox obtuli, quam vos Patrum, ac Prophetarum compendium exhibentes, non ſolum verbo, ſed ipſa etiam ſanguine ratam, firmamque eſſe voluiſtis. Ut autem illa nullo unquam tempore deficeret, Angelo tutelæ

Paradiſi adſcripto; geminam mens vobis fuit adjungi adverſus fidei hoſtes fortitudinem. Ex quo præteritis erroribus profligatis, & futuris iniquorum auſibus, regio parato munimine, diſſipatis, timendum non eſt, ne inferi portæ non ſolùm non prævaleant, ſed etiam jure ſperandum, puriſſimam Chriſti lucem, indies longè lateque eſſe diſſeminandam. Proterea tuis clavibus, Apoſtolorum Princeps, *S. D.N. In. XII. commiſſis, plene ex te zelo concepto, ipſe Principes, Reges, ac Imperatores Apoſtolicum munus obire, pro ſummo honore ducentes efficit, dum ſinguli obſecrantes, increpantes, verbo, ſcripto, & gladio adverſariis fidei eliminatis, Pontificiæ Cathedræ virtutem illuſtriorem reddunt, atque firmiorem. Hinc (in ſola Europa) Ungariæ Regnum ſub* Leopoldo *I.* Imperatore *Sacratiſſimo, coadjuvante, vel maxime* Carolo *II.* Catholico Hiſpaniarum Monarcha, *Epiſcopales veneratur Tiaras. Hinc in florentiſſimo, latiſſimoque Galliarum Regno, quoſque tartareis prius tenebris obcæcatos, inenarrabili induſtria, ac pietate* Ludovici *XIV.* Regis Chriſtianiſſimi, *vera luce donatos gaudemus. Hinc* Sereniſſima Reſpublica Veneta, *conſueta pro fide ſanguinis effuſione, Peloponneſiacum Regnum veſtræ reſtituit veritati addictum. Hinc Poloniam univerſam veſtræ ſemper veritati ſubjectam, in novo ejus capite præſertim admiramur, dum cælitus à vobis illuſtratione demiſſa,* Fridericus Auguſtus, *primus ad Ovile* Chriſti *ſe recepit,*

cepit, qui quondam in ſuis, (cæteris pariter ab eo errantibus) viam fecerat. Nec deſunt in utroque novo orbe, de aggregatis Chriſto ovibus, per longas, latiſſimaſque regiones, ad quas unius, & alterius ex præfatis Regnantibus, ſe extendit imperium: quin etiam pientiſſima diligentia Petri ſecundi ſupremo Luſitaniæ regimine potientis, novo ſemper fructu arbor vitæ concreſcit. Et idcirco non inaniter ob id inſudant homines, ſi teſte Chryſoſtomo (Hom. pr. de Spir. S.) propter Eccleſiam extenſum eſt cælum, diffuſum eſt mare, extenſus aer, terra fundata eſt, Paradiſus plantatus, mirabilia multa facta ſunt, propter Eccleſiam prophetæ, propter Eccleſiam Apoſtoli, & quid plura dicam? propter Eccleſiam Unigenitus Filius Dei homo factus eſt. Non ergo mirum, ſi etiam ipſa bella, noſtra recenti ætate Chriſtianum orbem diſſipantia, atque tam intus, quam extra circa illum efferventia, non niſi in recenſitam Eccleſiæ utilitatem tandem peracta ſint: ex quo, ibi indubie triumphales enumerandas ſperamus palmas, ubi Orthodoxi nominis ſectatores ad mortem uſque vexantur, recantante Tertulliano; ſanguis martyrum, ſemen Chriſtianorum, & dubio procul, incoinquinatæ ubi fidei ſimplicitas ſciſſuras patitur, ibi fiet unum ovile, & unus Paſtor; Igitur ſub tanto capite certare, atque ſub Angelica duce copias intrare, vincere omnino eſt: Quemadmodum enim in Eliſæo, Eliæ Spiritum geminatum comperimus, ita Auguſtini ſenſum in A-

qui-

quinate: Hanc ob rem namque vobis cæleſtis curiæ Principibus favere obſequio placuit, ut ubi Auguſtinus aliquando propriam non dedit ſententiam, Thomas ſubmiſſa dextera eam indigitaret; Hæc de Guſmani pectore, Paterna hæreditate traducta in animi devoti monimentum vovere vobis non dubitavit, qui de veſtra bonitate præſumpſit.

L E-

LECTORI.

NOn prius, Medoaci noſtri præteriens unda marinos vortices intrat, quam patrias benefico pede contingat oras: ex quo jurememeritò exoptandum mihi venit, ut decerpta ex Aquinate, & in hoc exiguo rivulo deprehenſa aqua, Euganeas prius valeat plantas, quam alieno in ſolo radicatas, irrigare; Verùm ſi quid utilitatis, ex hoc vitalis ſubſtantiæ decurſu compertum fuerit, non mihi, ſed illi tantum fuerit tribuendum, qui hunc fontalem omnino exhibuit potum, nempè Eminentiſſimo, venerabilis memoriæ viro *Gregorio Barbadico. Antiſtiti Patavino*, cujus voluntate, induſtria, ac ære *Angelica Summa*, ſpeciali quodam fulgore, è prælo ſurgit; Quique ſuo tantummodo nutu, me tanto labori aliqualiter parem fecit, quo ibidem dividerem aquas ab aquis, Articulorum partitiones majori ex parte diſtribuendo, ne talem aquam ſitientes alumni ex nimio hauſtu ſuffocationis periculo ſe ſe darent: Verùm ſi effectus artis non inſtrumento, ſed principali moventi, & victoria non militi, ſed Duci jure venit adſcribenda, non de exhibentis, paratæ undę, ſed de illius dextera erunt ſumendæ; cujus fuit immota animi deliberatio, ut ita fieret prout factum eſt: Hac igitur data occaſione, potum Paterna verè manu porrectum, nemo ſit (vel maximè inter Paſtores Patavinæ Dięceſis) qui obibere renuat: non enim tanquam pullos corvorum filios ſuos clamantes dimiſit, qui ut eos in Chriſto magis, magiſque enutriret, ſemetipſum exemplarem compegit in mortem.

NOI

Digitized by Google

NOI REFFORMATORI
Dello Studio di Padova.

H*Avendo veduto per la Fede di reviſione, & approbatione del P. F. Ambroſo Liſotti Inquiſitore nel Libro intitolato* Diſſertationes tres, &c. del P. Lettore F. Gioſeffe Maria Paltanieri dell'Ordine de' Predicatori, *non eſſervi coſ' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concediamo licenza, che poſſi eſſer stampato, oſſervando gl' ordini in materia di ſtampe, & preſentando le ſolite copie alle publiche Librarie di Venetia, & di Padova.*

Data li 20. Maggio 1698.

(Sebaſtian Foſcarini K. Proc. Reff.
(
(Franceſco Cornaro Proc. Reff.

Agoſtino Gadaldini Segretario.

Adi 27. Settembre 1698.
Regiſtrata nel Magiſt. Eccel. degl' Eſſecutori contro la Beſtemmia.

Antonio Canal Nodaro.

NOS

Digitized by Google

Nos F. Antoninus Cloche Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

CUm uti nobis exponitur R. P. Bac. Fr. Joſeph Maria Paltinieri Provinciæ noſtræ S. Dom. Venetiarum tria Opuſcula, quibus tituli, Diſſertatio 1. de exacta Methodo actum contritionis efformandi, &c. Diſſertatio 2. de Neceſſitate Communionis Spiritualis pro fidelibus extremo morbo laborantibus, &c. Diſſertatio 3. de proſcriptis à SS. PP. In. X. Alex. VII. In. XI. Alex. VIII. & In. XII. Propoſitionibus, &c. compoſuerit, illaq; prælo ſubjicere deſideret. Nos harum ſerie, noſtrique auctoritate officii, quantum in nobis eſt, & ſervatis aliàs ſervandis paternè indulgemus, dummodò à RR. AA. PP. Mag. Fr. Hyacintho Serry, Bac. Fr. Joanne Alberto Tabacco luce digna judicentur, eorumque cenſorio in ſcriptis calculo approbentur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. In quorum fidem, &c.

Datum Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam die 22. Februarii 1698.

F. Antoninus Cloche Magiſter Ordinis.

Regiſtrata foglio 8.
Fr. Salvator Aſcanio Mag. & Socius.

AP-

APPROBATIO

Reverendi Adm. P. Magiſtri Jacobi Hyacinthi Serry Ord. Prædic. Doctoris Sorbonici, & in Accademia Patavina primariæ Cathedræ D. Thomæ Moderatoris.

ERuditas Rev. P. Joſephi Mariç Paltinerii Diſſertationes, de Contritione, de Communione Spirituali, ac de Propoſitionibus ab Apoſtolica Sede damnatis, legi Ordinis nomine. Nihil in eis deprehendi fidei, morumque diſciplinç repugnans, quin potiùs ſpirantem ubique Angelici Doctoris mentem obſervavi, quam nemo diligentiùs indagavit, fidelius expoſuit, candidius exaravit. Quare dum præſentibus eruditi Theologi lucubrationibus ſubſcribo, non tam amici doctrinæ calculum adjicio, quàm communis Doctoris ſententias ex officio deoſculor, & prona animi veneratione ſuſcipio.

Patavii die 30. Septembris 1698.

Fr. Jacobus Hyacinthus Serry.

APPROBATIO

Reverendi P. S. Theologiæ Bac. Fr. Joannis Alberti Tabacco Ordinis Præd. ex Collegio Sanctiſſimi Roſarii Venetiarum.

CUm de mandato Reverendiſs. P. F. Antonini Cloche totius Ord. Prædic. Magiſtri Generalis attentè perlegerim Diſſertationes Tres (quarum prima de Contritione, altera de Communione Spirituali, & Tertia de Propoſitionibus proſcriptis, &c.) elucubratas à R. P. Fr. Joſepho Maria Paltinerio in Generali ſtudio Patavino Baccal. Ord. nil prorſus, vel contra bonos mores, vel rectam fidei normam in illis reperi. Imo cum veluti in agro Theologico æquali labore ac ſtudio Theſaurum, plurium oculis abſconditum, fideli dextera de Thomiſtici Solis beneficio reſeratum obſervaverim, ſingulis equidem in Chriſto peregrinantibus neceſſarium cenſeo, ut exponatur.

Ex Collegio ſupradicto die 26. Septembris 1698.

F. Jo. Albertus Tabacco.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO PRIMA.

De exacta methodo actum Contritionis efformandi, in qua oſtenditur dolorem pœnitentis in Deum Trinum, & Unum, ſummum bonum, offenſum directum, debere neceſſariò compleri, per acceſſum mediatoris Dei, & Hominum Chriſti Jeſu.

TAnta licèt fuerit *Angelici* Præceptoris diligentia; ſatiſque fuſe contritionis ſeries contexta, adhuc aliquibus, ſub caligine *Solis Aquinatis* radius continetur; Propterеà, ea præter, quę in *Tertia Parte* diſcuſſa ſunt, & in *quartò ſententiarum*: & alibi opere prætium duxi, nonnulla ex *libro contra Gentiles* apponere, ut per conſonam unius, & alterius voluminis ſententiam, ſatis, ſuperque appareat, quanta promptitudine, lac parvulis, ſitientibus potum, & quotidianum pariter eſurientibus panem præſtiterit Divinæ Voluntatis interpres, ac æternæ ſapientiæ miniſtrator fidelis. Quoniam autem ad manus veniunt quamplura ex innumeris, quæ circumferuntur: *Actus Contritionis* exemplaria, in quibus efformandis totidem eorum pœne, diverſi enumerantur authores, nec tamen quamplura ex iis exhibent explicitè, quidquid neceſſario requiritur: & ab *Angelico* præſcribitur ad actum Contritionis conſtruendum, non abs re duxi tantùm bonum in medium proferre, talemque de tenebris lucem educere, ut deinceps nulli ſit ambigendum, qua methodo quiſque de conſimili re praxim genuina valeat contexere forma; Cùm enim contritio nobis ſit prævaricantibus, via unica ad Cælum repetendum, ut qui prius de ſiliquis paſcebamur, ejus virtute paterna brachia noſtro (reditum facientes) dimiſſa collo pientiſſimè experiamur, juſtum omninò duxerim, æquali ſaltim calamo, de illa rationem inſtituere, ac in cribandis Metaphyſicæ difficultatibus, minimàque rationis entitate ſcrupuloſus ſoleat labor impendi: hoc enim dignitas materiæ expoſcit, ad hoc quotidiana communiſque neceſſitas animum pellit, huc tandem nos tanquam ad tutiſſimum portum urgeri neceſſe eſt; Quapropter meum fuerit ſolida, atque *Angelici* inconcuſſa doctrina oſtendere qualiter contritionis optabilis actus, quantum ad omnia, quæ ad ipſius integritatem neceſſariò ſunt requiſita in explicita efformatione conſtruatur, ac perficiatur: à quampluribus enim, non ſic proponitur, ſicut oportet.

Digitized by Google

Verùm duo præmittenda voluerim; meum in primis non eſſe impræſentiarum aliquem in particulari, vel redarguere, vel impugnare, ne litis occaſio, animorum in *Chriſto* concordiam, quam rei præſentis inſtitutio maximoperè præſefert, de medio tollat, & propterea ſaniori conſilio verba fuerint. *Purpurati Commentatoris* prorsùs repetenda, dum in *Prologo ad ſecundam ſæcundæ Angelicæ ſummæ ajebat. Modernos ſummiſtas abſque nomine pertranſire intendo, ne invidia aut amor lectorem à verò abduçat, & ut opus, quod pro ſalute animarum ſuſcipio nullum offendat.* Alterum verò eſt, aſſumpti intenti uberior expoſitio. Neque enim contendo taliter aliquorum in hoc ſenſum evertere, ut nullatenùs fore acceptandum judicaverim, at cum in actu contritionis ſubſtantia penſentur, & ordo ea in ſingulis admiſſa, & recepta (utpotè quia nullus iſtiuſmodi eſt, aut eſſe debet, qui pœnitentium dolorem ob ſummi boni non exhibeat offenſam) circa ordinem tantùm explicitamque ſeriem, ejuſmodi diſcuſſionis ratio tota erit habenda.

Huic autem inquiſitioni anſam dedit multiplex, ac varia ad *Deum* tendentia, ac ſe conterentium phraſis, & expreſſio; Multi enim ſic in eorum præcibus acceſſum pœnitentium diſponunt, ut totaliter ad *Sanctiſſimam Trinitatem* conterentium conatus dirigant, nulla prorsùs ſupplicatione explicitè porrecta *Chriſti Domini* ſaluberrimæ Paſſioni. Alii verò ad ſolum *Crucifixum* dolentium ſuſpiria dirigunt *Sanctiſſimæ Triadis* conſideratione, nullatenùs expreſſis verbis, appoſita; Ut autem hæc omnia ad lapidem lydium reducantur, abſtinendum erit à multis gravibuſque, quas (præter antiquitus longè lateque diſcuſſas.) *P. Lupus* noſtris diebus agitabat, nempe an contritio ſufficiat ad juſtificationem extrà pœnitentiæ Sacramentum, & quænam contritio requiratur ad eam ſufficiens: & an contritio ſit neceſſaria ad juſtificationem in Sacramento pœnitentiæ: his igitur ex parte relictis, utpotè à præſenti inſtituto alienis, meum erit oſtendere univocum eſſe ordinem in Deum tendendi, per tutiſſimam nempe, ac neceſſariam viam, quæ Chriſtus eſt.

Quod quidem radicitus demonſtrabitur, conſulendo priùs *S. D. in 4. d. 17. q. 2 art. 1. qu. 1. in c. ubi nomen contritionis ethimologice exponit dicens: inter fractionem, & comminutionem, ſive contritionem in rebus materialibus, unde hæc omnia ad ſpiritualia transferuntur, hoc intereſt, ut dicitur in 4. Met. Com. 44. quod frangi dicuntur aliqua, quandò in partes dividuntur, ſed comminui, vel conteri quando, ad partes minimas reducitur, hoc quod in ſe ſolidum erat, & quia ad dimiſſionem peccati requiritur,*

quod

quod homo totaliter affectum peccati dimittat, per quem quandam continuationem, & ſoliditatem in ſuo ſenſu habebat, ideò actus ille, quo peccatum remittitur contritio dicitur per ſimilitudinem.

Sic explicata contritio ea eſt, qua homo perſæpè indiget, ut *Deo* reconcilietur, ſecundum quòd communiter decantatur tantæ virtutis eſt, ut per eam ſtatim homo ex inimico fiat amicus, & de tenebris ad ſubitaneam lucem revocetur, juxta illud *Ezech. 33. In quacumq; hora ingemuerit peccator non recordabor ampliùs;* Quamvis enim ea non ſint verba præciſa ipſius Prophetæ, ſenſus à præmiſſis alienus non eſt: ait enim. *Si dixero impio morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato ſuo feceritque judicium, & juſtitiam, & pignus reſtituerit ille impius rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injuſtum, vita vivet, & non morietur: omnia peccata ejus, quæ fecit non imputabuntur ei, judicium & juſtitiam fecit, vita vivet;* At prædictus ſenſus commodius habetur in Vulgata juxta Septuaginta à felicis recordationis Sanctiſſimo D. N. Syxto V. Pont. Max. edita, & ſtudioſiſſimè communi, per ipſum expoſita beneficio, ubi in *Iſ. cap. 30.* Legitur Prophetæ ſermocinatio, qua populum ab Apoſtaſia de verò *Deo* retrahere conabatur, promptam veniam petentibus eam exhibendo per hæc verba*; Cùm reverſus ingemueris, tunc ſalvus eris*: juxta quæ*; SS.Leo Ep. 9. ad Teod. ait. Miſericordiæ Dei, nec menſuram poſſumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullus patitur veniæ moras, vera contritio dicente Spiritu Dei per Prophetam, cum ingemueris, tunc ſalvus eris*: Quibus valdè conſonant infrapoſita: *& Jeruſalem ploratu ploraverit, miſerere mei, miſerebitur tui: Vocem clamoris tui quandò vidit, exaudivit te.* Hæc igitur eſt illa contritio qua, & in Veteri lege juſtificabantur mandatorum Dei transgreſſores, Deus enim prout proteſtatus eſt, regius Pſaltes *Pſ.* 50. holocauſtis non ampliùs delectari jam plene ſtatuerat, quatenùs non ſufficientibus ad iram ſuam placandam, expectans ab homine ſolam cordis contritionem: *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies*: Quòd, & magis liquet *ex Auguſt.* 17. *de C. D. c.* 20. dicente *etiam vocem illam in Pſ. Triceſimo nono, ejuſdem mediatoris* (ideſt Chriſti) *per prophetiam loquentis agnovimus ſacrificium, & oblationem noluiſti, corpus autem perfeciſti mihi.* Ut igitur in novo teſtamento gratiæ collatio non deterioris, imò melioris ſit conditionis, multò nobis debent eſſe utiliores in Sacramento pœnitentiæ, vel in re, vel ſaltem in novo actus pœnitentis, ac fuerint antiquorum pro maculis, per ignem conſumpta holocauſta.

Digitized by Google

Videndùm eſt igitur, qui ſit ille *Deus*, quantuſque, qui ab homine offenditur, & cujus virtute (cum ſua non poſſit) ad ejus reconciliationem accedat, fiatque venia dignus: quæ quidem non melius expoſita videbimus, quàm ſi locum ſingularem conſolamus, *S. D. in 4. C. G. c. 72.* ubi de neceſſitate pœnitentiæ, & partium ejus pertractat, in cujus medio hæc habet, agendo de contritione; *Quia verò ſuprà oſtenſum eſt, quòd meritum Chriſti pro humano genere patientis, ad expiationem omnium peccatorum operatur, neceſſe eſt ad hoc, quod homo de peccato liberetur, quod non ſolùm mente Deo adhæreat, ſed etiam mediatori Dei, & hominum Jeſu Chriſto: in quo datur remiſſio omnium peccatorum; Nam in converſione mentis ad Deum ſalus ſpiritualis conſiſtit: quàm quidem ſalutem conſequi non poſſumus, niſi per medicum animarum noſtrarum Jeſum Chriſtum, qui ſalvat populum ſuum à peccatis eorum: cujus quidem meritum ſufficiens eſt, ad omnia peccata totaliter tollenda, ipſe enim eſt, qui tollit peccata mundi, ut dicitur: Jo.* 1. Hæc *S. D.* quibus ſatis apparet dirigendum, non eſſe actum contritionis, vel ad *ſolum Deum, Trinum*, videlicèt, & *unum*, vel ad *ſolum Chriſtum*: imò & advertere opus eſt, non dixiſſe *S. D.* congruum eſſe, id præſtare, vel utile, ſed ait *neceſſe eſt ad hoc, ut homo de peccato liberetur, quod non ſolum mente Deo adhæreat* (ideſt Trino, & Uno) *ſed etiam mediatori Dei, & hominum Jeſu Chriſto.* Cùm igitur pertranſire; non liceat de uno ad aliud extremum, ſine medio, atque hoc exequutionis ordine, priuſquam terminus ſit attingendus, videre modo oportet, quid ſibi velit hoc munus *mediatoris*, quod in *Chriſto* ponit *Angelicus*, & ex quo mediator ille dicatur; fundat enim hanc ſanam, utilemque ſententiam in *Aug.* doctrina 9. *de civ. D. C.* 15. cujus titulus inſcribitur, *de mediatore Dei, & hominum Chriſto Jeſu*, ubi *Apoſtoli* verba exponuntur: 1. *ad Tim.* 2. *Unus enim Deus, unus eſt mediator Dei, & hominum, homo Jeſus Chriſtus, qui dedit redemptionem ſeipſum pro omnibus. Ajebat igitur, Aug. querendus eſt medius, qui non ſolum homo, verum etiam Deus ſit, ut homines ex mortali miſeria ad beatam immortalitatem, hujus medii beata mortalitas interveniendo perducta*, & infrà. *Boni igitur Angeli inter miſeros mortales, & beatos immortales medii eſſe non poſsunt, quia ipſi quoque, & beati, & immortales ſunt, poſsunt autem eſse medii angeli mali, quia immortales ſunt cum illis, miſeri cum iſtis: His contrarius eſt mediator bonus, qui adverſus eorum immortalitatem, & miſeriam, & mortalis eſse ad tempus voluit, & beatus in æternitate perſi-*

Digitized by Google

perſiſtere potuit, *& infra*; *Homo itaque mortalis*, *& miſer longe ſejunctus ab immortalibus*, *& beatis*, *quod eligat medium per quod immortalitati*, *& beatitudini copuletur? quod poſſit delectari in dæmonum immortalitate miſerum eſt: quod poſſit offendere in Chriſti mortalitate jam non eſt. Ibi ergo cavenda eſt ſempiterna miſeria: hic mors timenda non eſt, quæ eſſe non potuit ſempiterna: & beatitudo amanda eſt ſempiterna*. Concludendum igitur, venit per ea, quæ ſunt ibi præmiſſa: *proindè mediatorem inter nos & Deum, & mortalitatem habere oportuit tranſeuntem, & beatitudinem permanentem, ut per id, quòd tranſit congrueret morituris, & ad id, quod permanet transferret ex mortuis. Ideò quandò in forma ſervi, ut mediator eſſet infrà Angelos eſſe voluit, in forma Dei ſuper Angelos manſit, idem in inferioribus via vitæ, qui in ſuperioribus vita*.

His autem æque bone ſentiunt, ea quæ *S. D.* diſponit in hac 3. *p. q. 26. art. 2.* ubi inquirit. *V. Chriſtus ſecundum quod homo ſit mediator Dei, & hominum*, pro cujus reſolutione, hæc habet. *Reſpondeo dicendum, quòd in mediatore duo poſſumus conſiderare; Primò quidem rationem medii, ſecundò officium conjungendi: Eſt autem de ratione medii, quod diſtet ab utroque extremorum conjungit autem mediator, per hoc, quod ea, quæ unius ſunt defert ad alterum; Neutrum autem horum poteſt convenire Chriſto: ſecundum quod Deus, ſed ſolùm ſecundum quòd homo: nam ſecundum quòd Deus non differt à Patre, & Spiritu ſancto in natura, & poteſtate dominii: Nec etiam Pater, & Spiritus Sanctus aliquid habent, quòd non ſit Filii, ut ſic poſſit id, quòd eſt Patris, vel Spiritus Sancti, quaſi quod eſt aliorum ad alios deferre: ſed utrumque convenit ei, inquantum eſt homo, quia ſecundum quòd eſt homo diſtat, & à Deo in natura, & ab hominibus in dignitate, & gratiæ, & gloriæ: Inquantum etiam eſt homo convenit ei cunjungere homines Deo, præcepta, & dona Dei hominibus exhibendo, & pro hominibus Deo ſatisfaciendo, & interpellando, & ideò veriſſimè dicitur mediator, ſecundum quòd homo*.

Ex quibus quid concludendum de hac re veniat, ſatis ſuperque apparet: dolorem nempe per contritionem excitatum ad *Deum Trinum*, & *Unum*, *Patrem* videlicèt, & *Filium*, & *Spiritum Sanctum* eſſe dirigendum: veruntamen hic acceſſus non fiat, niſi per unicam fideliſſimamque viam, quę *Chiſtus* eſt, per quem, & à quo media authoritate *Patris*, veniam peccatorum per miniſtrum Eccleſiæ impartiendam gratia *Spiritus Sancti* cooperante, ſicut & præoperantem in

in ipſa contritione, ſuſpiriis cordatis expoſcimus, ac fiducialiter expectamus: quemadmodum ipſe S. D. *in 4. d. 18. q. 1. a. 1. qla. 1.* in c. ait, *dicendum quod in corporalibus dicitur, clavis inſtrumentum, quo hoſtium aperitur. Regni autem hoſtium nobis clauditur per peccatum, & quantum ad maculam, & quantum ad reatum pœnæ: & ideò poteſtas, qua tale obſtaculum regni removetur dicitur clavis. Hæc autem poteſtas eſt quidem in Sanctiſſima Trinitate per auctoritatem: & ideò dicitur à quibuſdam, quod habet clavem auctoritatis: ſed in Chriſto homine fuit hæc poteſtas ad removendum prædictum obſtaculum, per meritum paſſionis, quæ etiam dicitur januam aperire: & ideò dicitur habere ſecundum quoſdam claves excellentiæ.* Quibus benè concordant producta à Pratoparente, *Aug. loc. ſup. cit.* dicente, *Neque enim nos à mortalitate, & miſeria liberans ad Angelos immortales, beatoſque ita perducit, ut eorum participatione, etiam nos immortales, & beati ſimus, ſed ad illam Trinitatem, cujus Angeli participatione beati ſunt.*

Ut autem præmiſſa, ne dùm Angelici doctrina, verum, & ipſa eademque praxi uberius roborentur: ecce ad manus ſupplicatio illa, qua *S. D.* (nos potius invitans, & edocens) ſolebat propria quomodolibet, & ſi quæ fuerint erga divinam bonitatem commiſſa, vel ſi quæ ommiſſa deflere: ajebat enim, ut apparet. *In offic. Parvo B. M. V. Ord. Prædic. Ad te fontem divinæ miſericordiæ Deus accedo, ergo digneris me lavare immundum: O ſol juſtitiæ illumina cæcum. O æterne medice, cura vulneratum. O Rex regum indue ſpoliatum;* En quomodò ad Deum priùs accedebat, deindè verò ad *Chriſtum,* & modò prorsùs præmiſſo, per ea, quæ immediatè ibi ſubſequuntur. *O mediator Dei, & hominum reconcilia reum. O Paſtor bone reduc errantem, &c.* Veruntamen, ut exactiſſimè omnia correſpondeant, in ſuperaddendis mox apparebit, quis ſit ille *Deus*, ad quem ipſe *S. D.* contritionis ſuæ ignito de corde ſenſum porrigebat, nam poſt pauca ſubdit. *Ego enim peccando Te Deum meum offendi, proximum læſi, mihi non peperci. Peccavi Deus meus fragilitate contra te Patrem omnipotentem, ignorantia contra te* Filium *ſapientem, malitia contra te Spiritum Sanctum clementem, & his offendi te Trinitatem excellentem, Heu Heu mihi miſero, &c.*

Non aliter igitur: eſt etiam nobis accedendum ad hunc excelſiſſimum Thronum Sanctiſſimæ *Trinitatis*, ac per mediatorem unicum, ne dum judæorum, ſed etiam gentilium, ut docet *S. D. ad Galat. 3 lect. 7. ex illo Eph. 2. ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum.* Imò, & nos invitat, *Ap. Heb. 4. Non enim habemus*

Digitized by Google

mus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris: & ſi nos grave ſtudium inſtituentes, ſic per Chriſtum, & verè contrito corde ad *Deum Trinum* altiſſimum accedemus, & abundantibus profuſis lachrymis clamabimus in *illo* miſericordiam, ne dùm culpæ reatus, verum & totius pœnæ taxa, pro delictis jam debitæ poterit nobis facile (abſque ullo divinæ juſtitiæ præjudicio) tota relaxari; juxta ea, quæ in præcitato loco 4. *C. G.* habet S. D. *Non enim omnes effectum remiſſionis perfectè conſequuntur: ſed unuſquiſque intantum conſequitur, inquantum Chriſtum pro peccatis patienti conjungitur. Quia enim conjunctio Chriſti in baptiſmo, non eſt ſecundum operationem noſtram, quaſi ab interiori, quia nulla res ſeipſam generat, ut ſit, ſed à Chriſto, qui nos regenerat in ſpem vivam remiſſio peccatorum in baptiſmo, fit ſecundum poteſtatem ipſius Chriſti, nos ſibi conjungentis perfectè, & integrè, ut non ſolùm impuritas peccati tollatur: ſed etiam ſolvatur penitus omnis pęnę reatus: niſi fortè per accidens in his, qui non conſequuntur effectum ſacramenti, per hoc, quòd fictè accedunt. In hac verò ſanctione ſpirituali Chriſto conjungimur, ſecundum operationem noſtram divina gratia informatam. Unde non ſemper totaliter, nec omnes ęqualiter remiſſionis effectum, per hanc conjunctionem conſequuntur. Poteſt enim eſſe contritio mentis in Deum, & in deteſtationem peccati tam vehemens, quod perfectè remiſſionem peccati homo conſequitur, non ſolùm quantum ad purgationem culpæ, ſed etiam quantum ad remiſſionem totius pęnæ, hoc autem non ſemper contingit*; Hæc S. D. quibus præbet anſam *Aug.* per ea, quæ dictavit *X. de C. D. c.* 6. dicens. *Profecto efficitur, ut tota ipſa redempta civitas univerſale ſacrificium offeratur Deo, ſacerdotem magnum, qui etiam ſeipſum obtulit in paſſione pro nobis, ut tanti capitis eſſemus, ſecundum formam ſervi, hanc enim obtulit, in hac oblatus eſt, quia ſecundum hanc mediator eſt, in hac ſacerdos, in hac ſacrificium eſt.*

Et verè ſemper, hæc fuit *Sanctorum Patrum* ex *Apoſtolo* communis ſententia de *Chriſto* mediatore: hac etiam methodo indiſpenſabiliter, utitur *Sanctiſſima Mater Eccleſia*, à *Spiritu Sancto* edocta, ut quaslibet preces, ac collectas ad *Patrem* directas claudat, & offerat per *mediatorem* optimum, nempe per *Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui* &c. Hic enim eſt, ajebat *Aug.* 9. *de C. D. c.* 7. *ſicut etiam prædicat Sancta ſcriptura mediator Dei, hominum homo Chriſtus Jeſus, de cujus divinitate, qua Patri eſt ſemper*

æqua-

Digitized by Google

æqualis , & humanitate, qua nobis factus eſt ſimilis, non hic locus eſt, ut competenter pro noſtra facultate dicamus.

Quamvis igitur ſatis fuerit, ſi quis ad *Sanctiſſimam Triadem*, vel ſolummodò ad *Chriſtum Crucifixum* explicitè ſe habuerit in eo, quod ſe conterere ſtudeat, quia ſicut in *ſecunda divina Perſona*, *etiam humanitas* implicatur: ita etiam in ejuſdem *ſecundæ divinæ Perſonæ*, humana carne indutæ compendio, inſeparabilis *Divinitas* enumeratur, & propterea apud legis ſupernaturalis peritos, neque dubium aliquod, neque confuſionis nubecula generari aliquando poterit, qualiter contingere poteſt in homine, vel muliercula, hæc ſemiſcientibus, facta nonnulla perquiſitione, & conſideratione, ſe *Patrem, & Spiritum ſanctum*, vel è contra etiam *Filium* offendiſſe, nec tamen in alterutro contritionis actu ſingulorum mentionem importari: & ideò, ſi ſibi placeat undequaque, contritionis aliàs ſupernaturalis, regulam obfirmare, accedat fidelis pœnitentia ductus ad *Deum Trinum*, per *Chriſtum*, *Angelo* manuducente doctrina, & exemplo; Ne ipſe *Dominus Jeſus*, ulterius doleat, *prudentiores*, hoc eſt diligentiores *eſſe filiis lucis*, *filios tenebrarum*, quia præmiſſa fideliter gradientes, facilius, adinſtar juſtificati à Deo Fariſei, domum gaudentes redibimus.

Ut autem, id plenius fiat, & pro coronide, uſque modo dictorum adducere convenit, & ob oculos ponere omnia, & ſingula, quæ ad contritionem complendam à *S. D.* adſtipulantur, *in 3. p. q. 85. artic. 3. ad 4. dicendum, quod, licèt pœnitentia ſit directè ſpecies juſtitiæ, comprehendit tamen quodammodò ea, quæ pertinent ad omnes virtutes, inquantum enim eſt juſtitia quædam hominis ad Deum oportet, quod participet ea, quæ ſunt virtutum Theologicarum, quæ habent Deum pro objecto. Unde pœnitentia eſt, cum fide paſſionis Chriſti, per quam juſtificamur à peccatis, & cum ſpe veniæ, & cum odio vitiorum, quod pertinet ad charitatem: inquantum verò eſt actus moralis, participat aliquid prudentiæ, quæ eſt directiva omnium moralium virtutum: ſed & ipſa ratione juſtitiæ non ſolùm habet id, quòd juſtitiæ eſt, ſed etiam, quæ ſunt temperantiæ, & fortitudinis, inquantum ſcilicet ea, quæ delectationem cauſant ad temperantiam pertinent, vel terrorem incutiunt, quem fortitudo moderatur, in commutationem juſtitiæ veniunt, & ſecundum hoc ad juſtitiam pertinet, & abſtinere à delectabilibus, quæ pertinet ad temperantiam, & ſuſtinere dura, quòd pertinet ad fortitudinem:* Hæc *S. D.* mirificè, quibus apponit etiam

re-

remedium; pro moderanda triſtitia, quæ ſolet ex magnis criminibus, quaſi hominem abſorbere, *3. p. q. 84. art. 9. ad 3. dicendum, quòd ſecundum Philoſ. in 2. Ethic. ad virtutem pertinet tenere medium in paſſionibus: Triſtitia autem, quæ in appetitu ſenſitivo pœnitentis conſequitur, ex diſplicentia voluntatis paſſio quædam eſt, unde moderanda eſt, ſecundum virtutem, & ejus ſuperfluitas eſt vitioſa, quia inducit in deſperationem, quod ſignificat Apoſtolus 2. Cor. dicens, ne majori triſtitia abſorbeatur, qui ejuſmodi eſt: & ſic conſolatio de qua ibi Apoſtolus loquitur, eſt moderativa triſtitiæ non autem totaliter ablativa;* Adjungatur itaque contritio exactè diſpoſita pœnitentiæ Sacramento, (de qua ait *S. D. in 4. d. 17. q. 2. ar. 1. quol. 1. ad 7. dicendnm, quòd contritio naturaliter præcedit confeſſionem, ſed quod aliquando ſequatur eſt per accidens ex defectu pęnitentis, & tamen tunc etiam debet habere propoſitum confitendi, ſi aliquid memoriæ occurrit, quòd confeſſus non ſit*:) & indubiè conſolationis medicamine ſpiritualis exuberantem triſtitiam coerceri omninò experimento erit, ex contextu adverſus hæreticorum blaterantia adhuc ora, *à Sacroſ. Concilio Trid. allata ſeſſ.* 14. c. 5. per hæc verba. *Confeſſionis difficultas, ac peccati detegendi verecundia gravis quidem videri poteſt, niſi tot ſanctiſque commodis, & conſolationibus levaretur, quæ omnibus digne ad hoc Sacramentum accedentibus per abſolutionem certiſſimè conferuntur.*

Quibus benè penſatis tantùm ſupereſt, ut præmiſſam doctrinam omninò concordem oſtendamus eſſe iis, quę in *Sacro Concilio Tridentino* de hac materia exhibentur; nam in primis idem *Concilium* ſic *Contritionem* definit *ſeſſ.* 14. *c.* 4. de contritione; *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cętero;* Hanc autem definitionem acceptatam, & ab *Angelici* operibus deſumptam, conſtat nempe à lib. 4. *ſent. d.* 17. *q.* 2. *art.* 1. *qu.* 1. *in c.* quem locum, & ipſam *conſilium* citat. cui quidem definitioni omninò concordat ea, quam S. D. tradit in 4. *C. G. loc. cit. dicens. Primum igitur, quòd in pœnitentia requiritur eſt ordinatio mentis, ut ſcilicet mens convertatur ad Deum, & avertatur à peccato dolens de commiſſo, & proponens non committendum, quod eſt de ratione contritionis.*

Ex his autem poſſet, quis anſam habere contra à nobis præmiſſa, in quibus oſtendimus in contritione præter dolorem de pec-

cato, neceſſariam omninò eſſe *Chriſti Dei Hominis mediationem*, cùm tamen, nec *Concilium* nec *S. D.* in his modo datis definitionibus, id expoſcant.

Veruntamen, ut omnis ratio dubitandi tollatur, extat ex ipſo *Angelico* aperta ſolutio, ait *enim loc. cit. in* 4. *d.* 17. *In contritione plura poßunt conſiderari, ſcilicet ipſa ſubſtantia, & actus modus agendi, principium, & effectus, & ſecundum hoc de contritione inveniuntur diverſæ definitiones traditæ, quantum enim ad ipſam ſubſtantiam actus datur prædicta definitio, quòd nempe contritio ſit dolor pro peccatis aßumptus, cùm propoſito confitendi, & ſatisfaciendi, & quia actus contritionis eſt actus virtutis, & eſt pars pœnitentiæ ſacramenti, ideò manifeſtatur in prædicta definitione, inquantum eſt actus virtutis, & per hoc, quòd ponitur genus ipſius, ſcilicet dolor, & objectum in hoc, quòd dicit pro peccatis, & electio, quæ requiritur ad actum virtutis, in hoc, quod dicit aſſumptus: ſed inquantum eſt pars ſacramenti per hoc, quò tangitur ordo ipſius ad alias partes, cum dicit, cum propoſito cofitendi, &c.*

Alia etiam definitio invenitur, quæ definit contritionem ſecundum quòd eſt actus virtutis tantùm, ſed additur ad prædictam definitionem differentia contrahens ad ipſum ſpecialem virtutem, ſ. pænitentiam: Dicit enim, quòd pœnitentia eſt dolor voluntarius ſemper pro peccato puniens, quòd dolet commiſiſſe. In hoc enim, quod additur punitio ad ſpecialem virtutem contrahitur, & de virtute hujus ſuprà diſt. 14. *dictum eſt, quia eſt poſita quaſi ſimilis definitio de pœnitentia, cui præcipuè competit ratione contritionis.*

Alia autem definitio invenitur: Iſid. quæ talis eſt. Contritio eſt compunctio, ut humilitas mentis, cum lachrymis veniens, de recordatione peccati, & timore judicii: & hæc quidem tangit rationem nominis in hoc, quòd dicit humilitas mentis, quia ſicut per ſuperbiam aliquis in ſuo ſenſu rigidus dicitur, ita per hoc, quòd à ſuo ſenſu contritus recedit, humiliatur. Tangit etiam modum exteriorem, in hoc, quòd dicit, cum lachrymis, & principium contritionis in hoc, quod dicit veniens de recordatione, &c.

Alia ſumitur ex verbis Aug. quæ tangit effectum contritionis, ſcilicet contritio eſt dolor remittens peccatum.

Alia ſumitur ex verbis Greg. quæ talis eſt. Contritio eſt humilitas ſpiritus annihilans peccatum inter ſpem, & timorem: & hæc tan-

Digitized by Google

tangit rationem nominis in hoc, quòd dicit, quod contritio eſt humilitas ſpiritus, & effectus ejus, in hoc, quòd dicit annihilans peccatum: & originem in hoc, quòd dicit, inter ſpem, & timorem: nec ſolùm ponit cauſam principalem, quæ eſt timor, ſed etiam, quæ eſt ſpes, ſine qua timor deſperationem facere poſſet.

Si ergo juxta diverſas conſiderationes diverſificantur, etiam contritionis definitiones, etiam illa erit acceptanda in qua, ea quæ implicantur, in harum prima prorsùs exponuntur, tum à *S. D.* tùm etiam *à S. Concilio Tridentino*, ut mox oſtendemus, dictum eſt enim ſuprà, quòd, *quia actus contritionis eſt actus virtutis, & eſt pars pœnitentiæ ſacramenti, inquantum eſt pars ſacramenti, per hoc tangitur ordo ipſius ad alias partes, cum dicit, cum propoſito confitendi, &c.* ex quibus mediatio Chriſti indiſpenſabilis eruitur in ipſa contritione; nam *S. D.* poſt datam definitionem contritionis, *in 4. C. G. loc. cit. quod nempe mens convertatur ad Deum, & avertatur à peccato dolens de commiſſo, & proponens non committendum, quòd eſt de ratione contritionis ſubjungit ſequentia.*

Nec verò reordinatio, ſine gratia eſſe non poteſt, nam mens noſtra debitè ad Deum converti non poteſt, ſine charitate: charitas autem ſine gratia haberi non poteſt, ut patet ex his, quæ in 3. lib. dicta ſunt. Sic igitur per contritionem, & offenſa Dei tollitur, & à reatu pœnæ liberatur, qui cum gratia, & charitate eſſe non poteſt: non enim æterna pœna eſt, niſi per ſeparationem à Deo, cui gratia, & charitate homo conjungitur: hæc enim mentis reordinatio, quæ in contritione conſiſtit, ex interiori procedit, i. à libero arbitrio, cum adjutorio Divinæ gratiæ. Quia verò ſuprà oſtenſum eſt, quòd meritum Chriſti pro humano genere patientis ad expiationem omnium peccatorum operatur, neceſſe eſt ad hoc, quòd homo de peccato liberetur, quod non ſolùm mente Deo adhæreat, ſed etiam mediatori Dei, & hominum Jeſu Chriſto, in quo datur remiſſio omnium peccatorum, &c.

Ex quibus verbis ſic colligenda venit contritionis uberior definitio nempe *Contritio eſt reordinatio mentis ad Deum, ut incommutabile bonum diligendum, & averſio à peccato, cum dolore de commiſſo, & propoſito non committendi à libero arbitrio procedens, cum adjutorio Divinæ gratiæ, quæ eſt in Chriſto*: hæc enim omnia in prædicta doctrina ſatis apparent, cum his etiam, quæ *S. D.* præmittit in eodem loco dicens, quòd *primum detrimentum, quod*

homo ex peccato ſuſtinet eſt deordinatio mentis , ſecundum quòd mens avertitur ab incommutabili bono , ſcilicet Deo , & convertitur ad peccatum .

Idem autem omnino exhibet præmiſſa ex *S.D.* & *Conc. Trid.* definitio, ſi explicitè apponantur, quæ in illa neceſſario implicantur, ſecundum quod conſideratur, ut continens pęnitentiæ partes, & ad id præſtandum, ſi unum, vel alterum verbum ſuperaddatur ſufficiet; ut ſi dicamus, quod *Contritio* eſt dolor *pro* peccatis *aſſumptus in Chriſto, cum propoſito confitendi, & in ipſo ſatisfaciendi*; Qui quidam ſenſus omnino exprimitur: à S. *Concilio Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 8. de *ſatisfactionis neceſſitate, & fructu*, ubi hæc habet. *Accedit ad hæc, quod dum ſatiſfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Jeſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur, certiſſimam quoque inde arrham habentes, quod ſi compatimur, & conglorificabimur. Neque verò, ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exſolvimus, ut non ſit per Chriſtum Jeſum: nam, qui ex nobis tanquam ex nobis, nihil poſſumus, eo autem cooperante, qui nos confortat omnia poſſumus: ita non habet homo, unde glorietur: Sed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo vivimus, in quo movemur, in quo ſatisfacimus facientes fructus dignos pænitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.*

Ne quis autem dicat verba Concilii adaptanda eſſe ſoli ſacramentali ſatisfactioni; ita quod mediatio *Chriſti* ſolummodo aſſumatur pro valoranda ſatisfactione: neutiquam autem ejus virtutem requiri ad cæteras pœnitentiæ partes, & conſequenter ad contritionem, eandem meditationem neceſſariam non eſſe: quia eademmet *Concilii* verba idipſum apertiſſime convincunt, ſi enim virtus *Chriſti* ad ſolam ſatisfactionem eſſet neceſſaria, poſſet homo gloriari, ſe ſine *Chriſto* contritionem, & confeſſionem habuiſſe, cum tamen, id repugnet iiſdem *Concilii* verbis dicentis, *ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt*: & iterum: *qui ex nobis tanquam ex nobis nihil poſſumus*: & tandem *in quo vivimus, in quo movemur, in quo ſatisfacimus*: & cum alias vita ſpiritualis in contritione, cum ſacramento in voto recuperetur, & quam apertè intentum noſtrum convincatur, ex ipſius verbis *Concilii*; quod quidem non ſine myſterio, explicitè de *Chriſti* mediatione mentionem fecit agendo de partibus pœnitentiæ, ſolum, quando ſermo fuit *de ipſa* ſatisfactione: ne ſæpe illi foret repetenda, dum priùs ageretur de cæteris pænitentiæ partibus, quibus etiam eſt neceſſaria, ſed poſtremo loco agens de ſatisfactione taliter

Digitized by Google

ter de præmiſſa mediatione diſſeruit, ut omnino jam conſtet, ſe etiam de cæteris pœnitentiæ partibus eſſe loquutum, relativè ad hanc mediatoris neceſſitatem, quapropter *S. D. loc. cit.* 4. *c. g.* procedens ad alteram pęnitentiæ partem diſcutiendam, nempè confeſſionem ait. Cum *autem ſubire pœnam pro culpa, judicium quoddam requirat oportet, quod pœnitens, qui ſe Chriſto ſanandum commiſit, Chriſti judicium in ratione pęnæ expectet, quod quidem per ſuos miniſtros exhibet Chriſtus, ſicut, & cætera ſacramenta.* Quomodo ergo ſine *Chriſto* erit confeſſio, ſi illi, ſe ſanandum committit? hoc igitur quod de ſatisfactione concluſit *Concilium* etiam de confeſſione, & multo magis de contritione venit intelligendum, ut jam oſtendimus, quia *S. D.* 3. *pq.* 90. *ar.* 3. *ad* 2. *ait dicendum, quod una pars integralis poteſt continere totum, licet non ſecundum eſſentiam: fundamentum enim quoddammodo virtute continet totum ædificium, & hoc modo contritio continet virtute totam pœnitentiam*; atqui tota virtus contritionis per *Dei* gratiam, quæ in *Chriſto* eſt perficitur, igitur in aliqua iſtarum partium pęnitentiæ, erit ſufficiens fidelis adimplenda, niſi per eam, in quo, ut dicit *Concilium, vivimus movemur, & ſumus Dei filii, & Chriſti cohæredes;* per quæ luce clarius apparet, qua methodo ſit explicitè efformandum actus contritionis exemplar, & ſchema, ſecundum quod Angelicus præceptor, Eccleſiæ ore, nobis innoteſcere doctrina, & exemplo mandavit, ut ita rectè, faciliter, & ſine ullo prorſus diſcrimine ad Deum, quem ſemper optamus nobis placatum, per Filium ejus Unigenitum in ara Crucis pro mundi totius ſalute, ac redemptione oblatum, unanimiter, ac fiducialiter accedamus; pro ea venia obtinenda, quam nobis vere, ſic pœnitentibus Deus dignetur concedere. Amen;

Praxes nonnullæ, actum Contritionis exhibentes.

DOmine Deus, & Deus meus, unus in eſſentia, & qui Trinus es in Perſonis, Patre videlicet, Filio, & Spiritu Sancto aſpice in me, & miſerere mei, qui peccatorum ſordibus obvolutus, tota cordis ſinceritate, & ea qua poſſum, non qua decet humilitate, procido ad pedes excelciſſimæ majeſtatis tuæ Deus, quem confiteor infinitè reverendum, propter tui dignitatem, in æternum adorandum propter incomparabilem ſanctitatem, & ſine fine, ac ſuper omnibus amandum propter immenſam bonitatem: Nam, cum ego miſerrimus, & verè ignorans, res creatas, & defectibiles magis fecerim, quam tuam dignitatem, Sanctitatem, & bonitatem, jure merito in me

rever-

reverſus, hoc temporis momento (quo ſola ſua gaudeo largitate) de intimo cordis mei dolorem emitto, & conteſtor maximopere me dolere de offenſo Deo, tam digno, tam ſancto, & tam bono: Nec tamen id compleo, vel territus pęnarum inferni horribili memoria, vel triſtis de Paradiſi gloria deneganda, vel ſcelerum enormitate confuſus, licet priùs his etiam fuerim commotus, atque etiam ſic miſericorditer excitatus: Sed, quia verè ſummo malo adhæſi, ſummo bono poſtabito: Ideoque tantum præjudicium extremis deploro lachrymis, non quia malum mei, ſed quatenus offenſa tanti Dei eſt, & propterea infinita; Tantùmque grave crimen odire contendo, quantum ſcio eſſe bonum illud, quo fui ex ipſo privatus: Nec tamen de venia diffido, ſed imo fiducialiter ab inexauſto tuo Divinæ miſericordiæ fonte, peccatorum meorum ſcelerumque perpetratorum dimiſſionem expecto: & eorum pariter, quæ, vel ignorantia, vel oblivio ſimul involuntaria claudit: Eja ergo Sanctiſſime Deus nedùm ab his omnibus, ſed ampliùs ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo. Quæ quidem omnia & ſingula, non certè in meis meritis, (quæ jam nulla ſunt) confidens imploro, ſed hæc ſolummodo humillimè obtinenda declamo attento pretio prætioſiſſimi ſanguinis, pro me etiam indigniſſimo homine in Paſſione, morte, & poſt mortem effuſi ab Unigenito Filio Tuo Jeſu Chriſto, quem mediatorem bonum, & veracem inter Te Deum Patrem, hominemque (cui miſertus es) conſtitutum mirabiliter voluiſti in ara S. Crucis, cujus quidem meritum ſufficiens agnoſco ad infinitorum hominum peccata delenda: & conſequenter quantum humana poteſt, fulcienda divinitus ſubſiſtere conſtantia, firmiter promitto velle me impoſterum, tua ſemper coadjuvante potenti gratia in Chriſto, gravem evitare tranſgreſſionem, ac indebitam implere ommiſſionem tuorum, quæ cœlitus, dediſti, mandatorum; ſive par legem Decalogi, ſive per tuam Apoſtolicam, & Catholicorum matrem S, Romanam Eccleſiam: quin & venialium peccatorum abundantiam delere contendo ad minimum uſque, quantum ſpectat ad meæ, etiam poſtmodum excolendæ intentionis, rectitudinem, qua nunc vehementer exopto, per ipſumet ſacramentum ſuppleri, ac ſatis fieri, doloris mei inſufficientiæ, eo quod maximum me non labere jam ſentiam, & de hoc ipſo dolere jam ſtudeam, ut ſic abſolutionis ſacramentalis per Eccleſiæ miniſtrum percipiendæ capax effectus, ita Chriſti jugo me ſubmittam, quod cum ipſo, & ſpiritu ſancto Tecum in Patria vivere valeam. Amen.

Tra-

Digitized by Google

Praxis altera.

COnfiteor me peccaſſe cogitatione, loquutione, opere, & omiſſione, meque reum conſtituo apud te SS. Trinitatem Deum unum in Eſſentia, & Trinum in Perſonis: abhorreo leve, ſed magis grave peccatum, utpote ſummum malum, & doleo propter illud me non dilexiſſe Te ſummum bonum: Contero me vehementer de omnibus peccatis meis; neque audeo oculos ad cœlum levare: ſed per mediatorem Dei, & hominum Jeſum Chriſtum, & per ejus infiniti meriti Paſſionem, & mortem accedo confidenter ad Thronum tuæ excelſiſſimæ majeſtatis, fiducialiter expectans peccatorum remiſſionem promittens, tua coadjuvante exoptata gratia, & charitate, perſeverantiam in bono, qua te, nunc ſemper ſuper omnibus diligendo tecum, cum Chriſto in æternum vivere valeam. Amen.

Praxis altera contritionis ad Chriſtum Crucifixum immediatè exhibenda.

DOmine mi Jeſu Chriſte, qui verus Deus, & Homo es, confiteor me tibi Deo, inquam vere infinitam intuliſſe offenſam cogitatione, loquutione, opere, & omiſſione, tum negligentia, tum ignorantia, tùm vel maximè malitia ab inſtanti, primo uſus rationis mihi donato, in quo forſan ad malum inclinatus creatorem meum, ut multis tenebar titulis non recognovi, ad præſentem, uſque diem, & horam, in qua non timore quidem coactus, neque ulla ſpe allectus, ſed puro tuæ Divinitatis, & Humanitatis amore omnem abominor culpam à me perpetratam nedùm gravem, ſed etiam levem, & reſpective ad dignitatem Dei in Te offenſi ſtudeo totis viribus abominari, tanquam ſummum malum omne, quod maximè à te avertit; Imò totis præcordiorum viſceribus profuſiſque de corde lachrymis, ac ſuſpiriis peto, precor, & obſecro reconciliari Eterna Tuo Patri, & Tibi ejus coæterno, ac Unigenito Filio, ſicut & Spiritui ſancto perenni Tuæ, ac Patris, charitatis fonti: mediantibus tuæ SS. Paſſionis infinitis meritis; Teſtimonium de meipſo faciens, velle potiùs impoſterum mortem appetere, quam ſceleſtibus denigrare maculis Te ſolem juſtitiæ, Deum in carne hominis Crucifixum: Sed imò ſummo te honore proſequi, ac perſeveranter tuis obedire mandatis: aſſiſtente tamen tua dextera coadjutrice: ut ſic tandem Te, cum Patre, & Spiritui Sancto in æternum gaudeam. Amen.

Pra-

Digitized by Google

Praxis altera ad eundem Crucifixum.

DOmine mi Jeſu Chriſte, qui verus Deus, & homo es, confiteor Divinam me majeſtatem tuam offendiſſe, nec non æterni Patris, ſimul, ac Spiritus Sancti coæqualem dignitatem, ac bonitatem, criminibus talibus, quibus condignæ ſunt æterni ſupplicii pænalitates jure taxatæ, pęnitet me nihilominùs ex puriſſimo tuæ infinitæ bonitatis amore, & in corde meo firmiſſimè propono mortem potiùs appetere, quàm tuam ſic conculcare Divinam legem, ac præcepta; dignare queſo Domine Jeſu Chriſte, mihi licèt indigno, pro tua benignitate concede, ut poſſim Sanctiſſimam tuam, undequaque pretioſiſſimo Sanguine manantem, ac in ligno pendentem, & Crucifixam pro me humanitatem tuam, æterno tuo Patri humiliter offerre: ut ſibi me reum per te reconciliatum ſimul, & cùm Spiritu Sancto æternaliter convivere faciat. Amen.

Hæc autem omnia etiam breviori manu poterunt compleri, atque leviori ſtylo perſtringi, tam ſub una, quam ſub altera praxi.

Praxes Breviores.

PEccavi Sanctiſſima Trinitas in cœlum, & coram te: Parce mihi crimina deteſtanti, ob tui purum amorem, & vitæ novitatem in perpetua tuorum mandatorum obſervantia promittenti: atque veniam per merita paſſionis unigeniti Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti enixe flagitanti. Amen.

Peccavi Domine mi Jeſu Chriſte, Teque, & Patrem, cum Spiritu Sancto graviter offendi: doleo vehementer de commiſſis, quia Deum ſummopere diligendum offendi: promitto à malo declinare, & bonum facere: veruntamen non meis: ſed tuis meritis veniam à Patre, à Te Unigenito ejus Filio, & Spiritu pariter Sancto ſic expoſco, atque expecto, ut in tua gratia perſeverans æternaliter eodem Patre, & Spiritu congaudere valeam. Amen.

Praxis

Digitized by Google

Praxis altera Contritionis, ex Pſalm. 21. compacta, Deoque exhibenda.

DOmine Deus meus reſpice in me pœnitentem: non enim longè ſunt à ſalute mea verba delictorum meorum, dùm aperio ſuper me os meum: Deus meus clamabo per diem, & ſi non exaudies, etiam nocte, & tamen ſcio quod non ad inſipientiam mihi. Tu enim qui in Sancto habitas laus Iſrael, non ſpernis, neque deſpicis deprecationem pauperis: ego autem confiteor, quod coram te ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis, at præ timore, ſicut aqua effuſus ſum, & præ dolore diſperſa ſunt omnia oſſa mea: & factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens præ ſummo tui amore, in medio ventris mei: Unde quemadmodum in te ſperaverunt patres noſtri, inquam, ſperaverunt, & liberaſti eos, ad te clamaverunt, & ſalvi facti ſunt, in te ſperaverunt, & non ſunt confuſi, ita vota mea reddam in conſpectu timentium te, ut laus mea ſit in Eccleſia tua magna. Aſpice Deus, quoniam circumdederunt me canes multi, & conſilium malignantium jure obſedit me: Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum à me, ſed ad defenſionem meam conſpice, illo interveniente, qui pro me clamavit, de ventre matris meæ, Deus meus es tu, ne diſceſſeris à me, quoniam tribulatio proxima eſt, quoniam non eſt, qui adjuvet, atque in Cruce, foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea; quia ſic in æternum anima mea tibi vivet; & annuntiabunt cœli miſericordiam tuam populo fideli, quem tibi fecit Chriſtus.

Praxis altera Contritionis deſumpta ex Cant. Hab. 3. Deo Crucifixo porrigenda.

DOmine Jeſu Chriſte audivi auditionem tuam, & timui: nunquid cum iratus fueris miſericordiæ recordaberis? en ſplendor tuus ut lux, perſcrutans, & cornua iræ, atque potentiæ in manibus tuis: ibi abſcondita eſt fortitudo tua, & propterea ante faciem meam vadit mors: egreditur Diabolus etiam ante pedes meos, ſtat & menſus eſt animam meam: veruntamen coram te modo contriti ſunt montes cogitationum, & incurvati ſunt colles deſideriorum meorum: numquid in fluminibus furor tuus, at in fremitu conculcabis hominem peccatorem, & in furore obſtupefacies

iniquum: percuties pariter caput impii, & denudabis eum, uſque ad collum; Veruntamen, quia egreſſus es in ſalutem populi tui pœnitentis; & expectantis ſalutem in Chriſto ſuo, ecce præ timore tui conturbatus eſt venter meus, & in confeſſione delictorum contremuerunt labia mea; Viam facies mihi fiducialiter venienti in mari aquarum multarum, quia ſic in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jeſu meo; Domine ergo Jeſu Chriſte fortitudo mea, tu pones pedes meos quaſi cervorum, ad mandata tua percurrenda: ſic enim non mentietur opus abundantis olivæ, & arva afferent cibum in Euchariſtia conſumendum: nec in perpetuum abſcindetur de olivi tuo pecus, ſed erit continuò tempore armentum pacificum in præſepè; Tu ſuper excelſa tandem deduces me victor in pſalmis, tuam, & Patris, ac Spiritus Sancti miſericordiam canentem. Amen.

Breviculus Contritionis pro ſingulo modo propoſito juxtà dicta à S. D. in 4. diſt. 14. q. 2. ar. 1. quæſtiuncula 1. in corp.

Pœnitentia in recompenſatione Divinæ offenſæ ſpiritum tribulatum Deo offert;

Actus Contritionis ad Deum;

Cor contritum, & humiliatum, atque in Chriſto judicatum Deus non deſpicies.

Actus Contritionis ad Chriſtum Crucifixum.

Cor contritum, & humiliatum, & per Te reconciliatum Deus non deſpicies;

Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo; Quæ quidem verba cuilibet contritionis actui meritò ſunt apponenda, pro integritate divinæ ſupplicationis.

Finis Diſſertationis Primæ.

Digitized by Google

DISSERTATIO SECUNDA.

De neceſſitate Spiritualis Communionis, pro fidelibus extremo morbo laborantibus, quibus prudenter Euchariſtiæ Sacramentum exhiberi non poſſit.

NOn ſemel, hac noſtra tempeſtate nonnulli ex Parochis, extremo morbo laborantibus fidelibus (dum ob grave impedimentum Sacrum Viaticum eis, exhiberi non poſſit) ità ſuffragari voluère, ſpondentes nempè, ſe jampridem Sacrum Euchariſtiæ Sacramentum pro illis ſumpturos, in incruenti ſacrificii proximiori conſumptione; quod quidem, tùm Paſchali tempore, tum etiam Jubilæi, dùm nequeant debiles ad Eccleſiam ſe conferre, ſimiliter præſtant; Propterea jure meritò in præſenti opuſculo diſcutiendum venit, num laudabile ſit, quod ab iſtis peragitur, cùm tamen eis reſiſtat *Apoſtolis* non minus, ac **Petro** in porta Damaſci dicens, quod *in omnibus Chriſtus*: ille inquam Chriſtus, quem licèt pro omnibus ſub ſpeciebus Sacramentalibus datum, & ſub illis uno, vel alio modo (ut magis infrà patebit) ab omnibus omninò ſumendum ſciamus, denegari in ſumma anguſtia jam cernimus, ab iis, qui matertera charitate: eſurientes pauperes dimittunt inanes, cùm tamen ſeipſos ſuperabundanter eo reficiant. At non minùs impetum facit Angelicæ doctrinæ teſtimonium, tàm luculenter expoſitum, tamque lucide, in hac 3. p. q. 80. ar. p. & ſequenti, ut ſole clarius appareat, quàm ſit conveniens modus eis, qui ex hac vita in meliorem ſunt transferendi, Viaticum de Chriſti Corpore exhibendi, & inquam tale, quale in Euchariſtiæ (& cum ipſa ſumenda Euchariſtia) continetur; ut verè dicatur ſingulos, & quoſque Fideles, non ſine Viatico, & non ſine Chriſto ſub ſpeciebus Sacramentalibus, ab hoc mundo emigraſſe.

Querit igitur S. D. loco cit. ℣. *diſtingui debeant duo modi manducandi Corpus Chriſti*, pro cujus reſolutione hæc habet: *Reſpondeo dicendum, quòd in ſumptione hujus Sacramenti duo ſunt conſideranda, ſcilicet ipſum Sacramentum, & effectus ipſius, de quorum utroque jam ſupradictum eſt: Perfectus igitur modus ſumendi hoc Sacramentum eſt, quando aliquis ita hoc Sacramentum ſuſcipit, quod percipit ejus effectum: contingit autem quandoque; ſicut ſuprà dictum eſt, quòd aliquis impeditur à percipiendo effectu*

hujus Sacramenti, & talis ſumptio hujus Sacramenti eſt imperfecta: ſicut igitur perfectum contra imperfectum dividitur, ita Sacramentalis manducatio, per quam ſumitur ſolum Sacramentum ſine effectu ipſius, dividitur contra ſpiritualem manducationem, per quam quis percipit effectum hujus Sacramenti, quo ſpiritualiter homo Chriſto conjungitur per fidem, & charitatem.

Ex quibus clarè liquet duos eſſe modos Corpus Chriſti, ſub ſpeciebus Sacramentalibus ſumendi, unum perfectum, in quo ſimul cum Sacramento, & re ipſius, nempe Chriſto, gratia ipſa ſanctificans percipitur, & hæc dicitur Sacramentalis, ac ſimul ſpiritualis manducatio: juxtà ea, quæ præſcribit Apoſtolus 1. *Cor.* 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*; ſin autem minus, quis talem gratiam conſequatur, erit alius modus Euchariſtiam percipiendi: ſed iſta, quæ Sacramentalis tantùm eſt manducatio, contra ſpiritualem dividitur, quia effectum non conſequitur: unde ſpiritualis dici nequit, juxta ea, quæ S. D. etiam *in* 4. *d.* 9. *q.* 1. *a.* 1. *qu.* 3. *ad* 2. *habet. In his, qui ſacramentaliter manducant, poteſt ex defectu manducantium impediri effectus Sacramenti, qui eſt ſpiritualis manducatio.*

Ex primo autem duorum principalium modorum Corpus Chriſti ſumendi, tertius eruitur, quem S. D. *in ſolutione ad* 3. innuit dicens; *Ad* 3. *dicendum (ſicut ſuprà dictum eſt) quod effectus Sacramenti poteſt ab aliquo percipi, ſi Sacramentum habeat in voto, quamvis non accipiat in re: & ideò ſicut aliqui baptizantur, baptiſmo flaminis propter deſiderium baptiſmi, antequam baptizentur, baptiſmo aquæ, ita etiam aliqui manducant ſpiritualiter, hoc Sacramentum antequam Sacramentaliter ſumat: ſed hoc contingit dupliciter. Uno modo propter deſiderium ſumendi ipſum Sacramentum, & hoc modo dicuntur baptizari, & manducare ſpiritualiter, & non Sacramentaliter illi, qui deſiderant ſumere hæc Sacramenta jam inſtituta: alio modo propter figuram, ſicut dicit Apoſtolus* 1. *Cor.* 10. *quod antiqui Patres baptizati ſunt in nube, & in mari, & quod ſpiritualem eſcam manducaverunt, & ſpiritualem potum biberunt*, & de his tribus modis expreſſius agit S. D. op. 58. & præcipuè de hoc Tertio c. 19. per totum.

En ergo Communio mere ſpiritalis, quæ à fidelibus tantùm, modò valet exerceri, & ſecluditur ea, quam SS. PP. adimplebant ante Chriſti adventum, & per cujus ſolam fidem juſtificabantur, juxtà præmiſſa in hac 3. *p. q.* 62. *art.* 1. *in c.* ubi dicitur. *Sic ergo patet, quod Sacramenta veteris legis non habebant in ſe aliquam vir-*

Digitized by Google

virtutem, qua operarentur ad conſerendam gratiam juſtificantem, ſed ſolùm ſignificabant fidem, per quam juſtificabantur.

Quemadmodùm igitur ajebat Philippo Eunuchus Ac. 8. *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* quis quæſo prohibet ægrotanti, ac morbo præcipuè ultimo laboranti, ne talem virtuoſiſſimum cibum ſpiritualiter ſumat? majorem pro certo inducet fideli virtutem ſumptio à ſemetipſo peracta, ſpiritualiterque perfecta iſtius Sacramenti, quàm ſola ſpiritualis participatio Sacramentalis, manducationis à Sacerdote in Altari conſumptæ. Si ſolùm deſiderium percipiendi baptiſmi Sacramentum, jam deſiderantem fidelem efficit, ac Eccleſiæ credimus incorporatum, multò magis fuerit ſuadenda ſpiritualis manducatio eidem quomodolibet male ſe habenti? quia ait S. D. *Sol. ad 3. In hoc Sacramento magis diſtinguitur uſus Sacramentalis à ſpirituali, quàm in baptiſmo.* Cujus rationem unam, & alteram reddit; *Quia cum alia Sacramenta perficiantur in uſu materiæ, percipere Sacramentum eſt ipſa perfectio Sacramenti. Hoc autem Sacramentum perficitur in conſecratione materiæ: & ideò uterque uſus eſt, conſequens hoc Sacramentum; In baptiſmo etiam & aliis Sacramentis characterem imprimentibus illi, qui accipiunt Sacramentum recipiunt aliquem ſpiritualem effectum, ſcilicet characterem, quod non accidit in hoc Sacramento, & ideò magis in hoc Sacramento diſtinguitur uſus Sacramentalis à ſpirituali, quàm in baptiſmo.*

Cum igitur meliori forma, & via poſſimus diſtinguere, ac ſeparare uſum Sacramentalem à ſpirituali in hoc Sacramento, quàm in baptiſmo, juſtum propemodùm erit ſuadere Communionem mere ſpiritualem, quæ ſecernitur, & à communione, quæ ſimul Sacramentalis eſt, & Spiritualis, & ab ea, quæ mere Sacramentalis, ſicut contigit in Judæ Communione, & quæ iterùm alia eſt à Communione mere ſpirituali Patrum veteris Teſtamenti, hujus Sacramenti inſtitutionem longè præcedentium.

Hæc verò non diſtinguentes aliqui, qui tamen debent eſſe in hac legis parte doctores, quin, & craſſa intelligentia complicantes, putant, ſuadentque ſibi, nullum alium eſſe modum Chriſti Corpus ſumendi, quàm Sacramentalem, utroque modo ſupra expreſſo, neque cognoſcunt in hoc Sacramento, uſum mere ſpiritualem diſtinctum eſſe à Sacramentali, vel includente etiam ſpiritualem, vel illum excludente in enormi, videlicèt ſumptione.

Veruntamen, ut fuſiori luce, hæc veritas omnibus micet, conſiderandum nobis venit, qualiter Sanctiſſimus Job in conſimili ſpiritus

tus deſolatione conſtitutus, non niſi ad communionem ſpiritualem (eo tamen modo, quo tunc antiquis Patribus conceſſum erat) Chriſto ſe per fidem, & charitatem uniendo, recurſum habuit; Ejus autem ſunt verba c. 23. *Quis mihi tribuat, ut cognoſcam, & inveniam illum, & veniam uſque ad ſolium ejus? ſi ad Orientem jero non apparet: ſi ad Occidentem non intelligam eum: ſi ad ſiniſtram, quid agam? non apprehendam eum. Si me vertam ad dexteram non videbo illum. Ipſe verò ſcit viam meam, & probavit me, quaſi aurum, quod per ignem tranſit. Veſtigia ejus ſequutus eſt pes meus: viam ejus cuſtodivi, & non declinavi ex ea. A mandatis labiorum ejus non receſſi, & in ſinu meo abſcondi verba oris ejus. Ipſe enim ſolus eſt, & nemo avertere poteſt cogitationem ejus, & anima ejus quodcumque voluit hoc fecit. Cùm expleverit in me voluntatem ſuam, & alia multa ſimilia præſto ſunt ei: & idcircò à facie ejus turbatus ſum, & conſiderans eum timore ſollicitor. Deus mollivit cor meum, & omnipotens turbavit me.*

In his ergo terribilibus ſpiritus ſui afflictionibus non aliter fortitudinem, animique conſolationem carpebat, quàm mente revolvens, quæ præmiſerat cap. 19. ubi apertam mediatoris expreſſamque à Deo obtinuit revelationem dicens, contrà amicos, qui vitam æternam ignorabant, prout docet *S. D. in Job* cap. 2. & 10. *Scio quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die, de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Super quibus verbis Aug. *de li. 18. C. Dei c. 47. ait. Divinitus autem proviſum fuiſſe non dubito, ut ex hoc uno ſciremus, etiam per alias gentes* (i. extrà populum Iſraeliticum) *eſſe potuiſſe, qui ſecundum Deum vixerunt, eique placuerunt pertinentes ad ſpiritalem Hieroſolymam: quod nemini conceſſum fuiſſe credendum eſt, niſi cui Divinitus revelatus eſt unus mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui venturus in carne ſic antiquis ſanctis prænuntiabatur: quemadmodum nobis veniſſe nunciatus eſt, ut una eademque fides per ipſum omnes in Dei civitatem, in Domum Dei, in Dei Templum prædeſtinatos perducat ad Deum.* Hæc ibi ſicut igitur Sanctiſſimus Job per fidem, & charitatem Chriſto unitus utpotè à Deo revelato, ſibi ſolatium parabat, ac menti robur exhibebat in maximo animi ſui mœrore, & ſpiritus exinanitione, cùm ipſe fuerit *figura Chriſti* in Cruce patientis, multo magis ſuadendum nobis venit, in eo aliquale ſolatium Chriſtum ſibi comparaſſe, in quo per novam ab ipſo factam inſtitutionem, nobis quoque potuerit exemplo eſſe. Ut autem uberius officioſę pietatis induſtrios labores exhibeamus, quibus

nobis

nobis innoteſcere poſſit hoc Chriſti Domini exemplum, de tam occultè peracto myſterio ? in medium adducendum erit Teſtimonium *Act.* 1. ubi dicitur, *quod Jeſus cœpit facere, & docere.* Sicut igitur quando ipſe in Cœna inſtituit ſacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ipſe inquam prius ſumpſit deindè aliis dedit, ita etiam ſpiritualiter, an ſe Patri commiſerit, quando defixa utraque manu, ſola mente cognoverit ſeipſum confortare, altioris hoc eſt Theologię: Veruntamen huic rei fidem facit verſiculus Pſalmi vigeſimiprimi in Cruce decantati, hoc enim in loco ait Auguſtin. *Deus Deus meus*, &c. *niſi quodammodo intentos nos faciens, & dicens Pſalmus iſte de me ſcriptus eſt*; & verè ſic eſt ſentiendum, etenim in eo ad litteram potiora paſſionis ejus ſunt deſcripta myſteria: & inter alia de Sacramento Euchariſtiæ, non ſemel præloquutus eſt ſermo Divinus, primo in illo Verſiculo. *Edent pauperes, & ſaturabuntur,* & deindè in altero dictante: *manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terræ*: ubi purpuratus *Ugo* dicit ſic. *Manducaverunt*, &c. *ſupra habuimus de ſpirituali manducatione Euchariſtiæ, ibi edent pauperes*, &c. *hic agit de manducatione Sacramentali, quæ communis eſt bonis, & malis. Unde dicit omnes pingues terræ: ideſt terrena diligentes, & ſuperbi manducaverunt Corpus Chriſti in Sacramento*: Cùm ergo ſit piorum Sanctorumque communis ſententia, Chriſtum in ſua paſſione iterùm, iterùmque repetiiſſe hunc Pſalmum, quod apertiſſimè liquet ex ultima altiſſimaque in Cruce declamatione, hoc dubio procul, documentum reliquit, quod ſaltim nobis inſtitutum voluit, ut prodeſſet: Chriſtus ergo expanſis manibus ſemetipſum Deo Patri commendans, per ea verba *in manus tuas commendo Spiritum meum*, altiſſimum charitatis exemplum dedit, oſtendens, quemadmodùm nos illius *Corpus*, & *Sanguinem* ſaltem ſpiritualiter *Deo Patri* debeamus toto corde offerre, ut ſic etiam ſimus illi incorporati.

Ne ergo nobis Chriſtus Verſiculum illum edent pauperes inutiliter, per ſpiritum Sanctum præcinxerit, imò & eodem Sancto inſtinctu manuducti, juxta illud Prov. *Aſtutias ſapientiæ, quis agnovit?* non obſtante, quod etiam Sacrum Euchariſtiæ Sacramentum perceperimus, ulteriùs talem ſuaviſſimam deguſtantes iterùm, cibum ſpiritualiter tantùm, eo ad novam, ac æternam vitam, tanquam ſuperno lacte enutriti, cœlo nos vivere certiores ſimus, qui terræ jam ampliùs præſentes eſſe non poſſumus; Ne igitur increpatio Jeremię 4. cum dixit, *parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret ei*, locum uberius habeat, porrigatur infirmis, non de-

ne-

negetur Eccleſiam adire non valentibus; imò ſuppetatur, & ipſis Sacra Communione Sacramentali refectis, hæc ſuperſubſtantialis portio, hæc inquam ſempiternorum ſubſtantia redemptorum.

Verùm, quia circa modum exercendi hanc Spiritualem Communionem, nonnullos authores apparet non rectè, ac concorditer ad ea, quæ habet S. D. ſentire, ideò accedere neceſſe erit ad ea, quæ in ſecundo Art. enucleantur, ubi inquirit. ℣. *Solius hominis ſit hoc Sacramentum ſpiritualiter manducare?* pro cujus reſolutione hęc habet. *Reſpondeo dicendum, quòd in hoc Sacramento continetur, ipſe Chriſtus non quidem in ſpecie propria, ſed in ſpecie Sacramenti: Dupliciter ergo contingit manducare ſpiritualiter ipſum Chriſtum. Uno modo prout in ſpecie propria conſiſtit: & hoc modo Angeli manducant ſpiritualiter ipſum Chriſtum, inquantum eis uniuntur: fruitione charitatis perfectæ, & viſione manifeſta (quem panem expectamus in Patria) non per fidem, ſicut nos ei hic unimur: alio modo contingit ſpiritualiter manducare Chriſtum, prout eſt ſub ſpeciebus hujus Sacramenti, inquantum, ſcilicet aliquis credit in Chriſtum, cum deſiderio ſumendi hoc Sacramentum, & hoc non ſolùm eſt ſpiritualiter manducare Chriſtum, ſed etiam ſpiritualiter manducare hoc Sacramentum, quod non competit Angelis: & ideò, licèt Angeli ſpiritualiter manducant Chriſtum, non tamen convenit eis ſpiritualiter manducare hoc Sacramentum.* Hæc S. D. quibus ſi aliqui oſtenderent non confunderent eorum ſcriptis, ac libris Communionem ſpiritualem Angelis competentem, cum ea, quæ ſolis hominibus optanda venit: Cùm enim illæ ſpirituales ſubſtantiæ, caſſæ ſint organo corporeo, utique illis denegatur: ſumptio etiam ſpiritualis, quæ per modum cibi ſit exercenda: etiamſi humana ſpecie apparerent ipſi Angeli: ut docet S. D. *in 4. d. 9. q. 5. art. 2. ad 2.* docens. *Si Angelus aſſumpto corpore maſticaret ſpecies Sacramentales Euchariſtiæ, non manducaret Sacramentum, niſi per accidens;* quapropter ſolis hominibus poteſt præſcribi ſumptio Chriſti, in qua nedùm ipſe Chriſtus in carne exiſtens, ſed etiam ſpecies ipſę Sacramentales quaſi dicamus veniunt deglutiendæ, ut ſic humano, & non Angelico modo Communio ſpiritualis compleatur; Falluntur igitur quamplures dictitantes, hujuſcemodi Sacram Chriſti ſumptionem conſiſtere in ſolo deſiderio Chriſtum ſumendi, quia ulterius inſtituere debent in tali functione, ne dùm ipſum Chriſtum, verum etiam, & ſpecies Sacramentales in deſiderio ſumendi omninò cadere.

Quia

Digitized by Google

Quia verò à rudibus, ac indoctis hominibus non facilè in praxi reducenda fuerit hæc ſpiritualis Communio; dicent enim ſe ſemper tale deſiderium enutrire, erga Chriſtum Dominum, quòd eſt per modum habitus tantummodò illud habere, ſane dixerim utillimum fore, ſi Sacerdos ſuadeat his, ac quibuſcumque perficere, ac verè complere cupientibus hoc, quòd ſanctè devotèque affectant, tutiſſimam fore methodum, quod nempe, *per ſolita verba in Sacramentali communione prolata*, ſcilicet *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti Cuſtodiat animam meam in vitam æternam. Amen.* Toto mentis, ac cordis affectu exoptent Chriſtum Deum ſub ipſiſmet ſpeciebus Sacramentalibus fideliter ſuſcipere. Ly enim *Corpus Domini, &c.* fit homini præſens per deſiderium, quemadmodum res amata eſt in amante, prout docet S. D. 1. 2. *q.* 28. *art.* 2. *in c. primò, nam quantum ad vim apprehenſivam, tantum dicitur eſſe in amante, inquantum amatum immoratur in apprehenſione amantis, ſecundum illud Phil.* 1. *eo, quod habeam vos in corde: & etiam quantum ad vim appetitivam amatum dicitur eſſe in amante, prout eſt per quandam complacentiam in ejus affectu.* Unde ſi ex abundantia fidei, & charitatis etiam ſenſibilis natura excitetur, tunc fides magis magiſque roboratur, & charitas magis enutritur, & natura ipſa ſenſibilis meliore ſorte cedit in obſequium fidei, quemadmodùm S. D. oſtendit *in* 4. *d.* 39. *q.* 3. *ar.* 1. convenientiſſimum fuiſſe modum Anunciationis per ſenſibilia, non obſtante, quod radicatiſſima fuerit fides in Virgine, cujus alias meritum tollitur per humanum experimentum: & rationem reddit dicens. *Ut Annunciatio certior fieret, in his enim, quæ viſibiliter cernimus, minùs decipimur, & ut ait Dion. in Epiſtola ad Tit. hæc eſt cauſa, quare nobis Divina per corporales figuras proponuntur, ut utraque vita hominis ſecundum ſuam proprietatem Divina cognitione illuminetur, ſenſitiva, ſ. imaginatione figurarum: intellectiva verò contemplatione ſpiritualis veritatis.* Licèt enim beneficium ex tali, aliiſque Sacramentis ſit mere ſpirituale, directè loquendo, voluit tamen Divina ſapientia, & in ſenſibilibus collocare, prout præſertim innuit de hoc Sacramento S. D. in hac 3. *p. q.* 75. *art.* 2. *ad* 3. dicens, *quod Deus inſtituit, quod accidentia panis, & vini ſint in Sacramento Altaris, & ibi maneant ſine ſubjecto quadruplici ratione: ſcilicet quantum ad uſum, quantum ad manducationem ſpiritualem, quæ eſt per fidem, quantum ad vitationem horroris, & irriſionis, & quantum ad ſpiritualia, quæ per corporalia conſueverunt oſtendi.* Fractionem igitur illam, quam

negetur Eccleſiam adire non valentibus; imò ſuppetatur; & ipſis Sacra Communione Sacramentali refectis, hæc ſuperſubſtantialis portio, hæc inquam ſempiternorum ſubſtantia redemptorum.

Verùm, quia circa modum exercendi hanc Spiritualem Communionem, nonnullos authores apparet non rectè, ac concorditer ad ea, quæ habet S. D. ſentire, ideò accedere neceſſe erit ad ea, quæ in ſecundo Art. enucleantur, ubi inquirit. *v. Solius hominis ſit hoc Sacramentum ſpiritualiter manducare?* pro cujus reſolutione hęc habet. *Reſpondeo dicendum, quòd in hoc Sacramento continetur, ipſe Chriſtus non quidem in ſpecie propria, ſed in ſpecie Sacramenti: Dupliciter ergo contingit manducare ſpiritualiter ipſum Chriſtum. Uno modo prout in ſpecie propria conſiſtit: & hoc modo Angeli manducant ſpiritualiter ipſum Chriſtum, inquantum eis uniuntur: fruitione charitatis perfectæ, & viſione manifeſta (quem panem expectamus in Patria) non per fidem, ſicut nos ei hic unimur: alio modo contingit ſpiritualiter manducare Chriſtum, prout eſt ſub ſpeciebus hujus Sacramenti, inquantum, ſcilicet aliquis credit in Chriſtum, cum deſiderio ſumendi hoc Sacramentum, & hoc non ſolùm eſt ſpiritualiter manducare Chriſtum, ſed etiam ſpiritualiter manducare hoc Sacramentum, quod non competit Angelis: & ideò, licèt Angeli ſpiritualiter manducant Chriſtum, non tamen convenit eis ſpiritualiter manducare hoc Sacramentum.* Hæc S. D. quibus ſi aliqui oſtenderent non confunderent eorum ſcriptis, ac libris Communionem ſpiritualem Angelis competentem, cum ea, quæ ſolis hominibus optanda venit: Cùm enim illæ ſpirituales ſubſtantiæ, caſſæ ſint organo corporeo, utique illis denegatur: ſumptio etiam ſpiritualis, quæ per modum cibi ſit exercenda: etiamſi humana ſpecie apparerent ipſi Angeli: ut docet S. D. *in* 4. *d.* 9. *q.* 5. *art.* 2. *ad* 2. docens. *Si Angelus aſſumpto corpore maſticaret ſpecies Sacramentales Eucharistiæ, non manducaret Sacramentum, niſi per accidens;* quapropter ſolis hominibus poteſt præſcribi ſumptio Chriſti, in qua nedùm ipſe Chriſtus in carne exiſtens, ſed etiam ſpecies ipſę Sacramentales quaſi dicamus veniunt deglutiendæ, ut ſic humano, & non Angelico modo Communio ſpiritualis compleatur; Falluntur igitur quamplures dictitantes, hjuſcemodi Sacram Chriſti ſumptionem conſiſtere in ſolo deſiderio Chriſtum ſumendi, quia ulterius inſtituere debent in tali functione, ne dùm ipſum Chriſtum, verum etiam, & ſpecies Sacramentales in deſiderio ſumendi omninò cadere.

Quia

Digitized by Google

Quia verò à rudibus, ac indoctis hominibus non facilè in praxi reducenda fuerit hæc ſpiritualis Communio; dicent enim ſe ſemper tale deſiderium enutrire, erga Chriſtum Dominum, quòd eſt per modum habitus tantummodò illud habere, ſane dixerim utiliſſimum fore, ſi Sacerdos ſuadeat his, ac quibuſcumque perficere, ac verè complere cupientibus hoc, quòd ſanctè devotèque affectant, tutiſſimam fore methodum, quod nempe, *per ſolita verba in Sacramentali communione prolata*, ſcilicet *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti Cuſtodiat animam meam in vitam æternam. Amen*. Toto mentis, ac cordis affectu exoptent Chriſtum Deum ſub ipſiſmet ſpeciebus Sacramentalibus fideliter ſuſcipere. Ly enim *Corpus Domini, &c.* fit homini præſens per deſiderium, quemadmodum res amata eſt in amante, prout docet S. D. 1. 2. *q.* 28. *art.* 2. *in c. primò, nam quantum ad vim apprehenſivam, tantum dicitur eſſe in amante, inquantum amatum immoratur in apprehenſione amantis, ſecundum illud Phil.* 1. *eo, quod habeam vos in corde: & etiam quantum ad vim appetitivam amatum dicitur eſſe in amante, prout eſt per quandam complacentiam in ejus affectu.* Unde ſi ex abundantia fidei, & charitatis etiam ſenſibilis natura excitetur, tunc fides magis magiſque roboratur, & charitas magis enutritur, & natura ipſa ſenſibilis meliore ſorte cedit in obſequium fidei, quemadmodùm S. D. oſtendit *in* 4. *d.* 39. *q.* 3. *ar.* 1. convenientiſſimum fuiſſe modum Anunciationis per ſenſibilia, non obſtante, quod radicatiſſima fuerit fides in Virgine, cujus alias meritum tollitur per humanum experimentum: & rationem reddit dicens. *Ut Annunciatio certior fieret, in his enim, quæ viſibiliter cernimus, minùs decipimur, & ut ait Dion. in Epiſtola ad Tit. hæc eſt cauſa, quare nobis Divina per corporales figuras proponuntur, ut utraque vita hominis ſecundum ſuam proprietatem Divina cognitione illuminetur, ſenſitiva, ſ. imaginatione figurarum: intellectiva verò contemplatione ſpiritualis veritatis.* Licèt enim beneficium ex tali, aliiſque Sacramentis ſit mere ſpirituale, directè loquendo, voluit tamen Divina ſapientia, & in ſenſibilibus collocare, prout præſertim innuit de hoc Sacramento S. D. in hac 3. *p. q.* 75. *art.* 2. *ad* 3. dicens, *quod Deus inſtituit, quod accidentia panis, & vini ſint in Sacramento Altaris, & ibi maneant ſine ſubjecto quadruplici ratione: ſcilicet quantum ad uſum, quantum ad manducationem ſpiritualem, quæ eſt per fidem, quantum ad vitationem horroris, & irriſionis, & quantum ad ſpiritualia, quæ per corporalia conſueverunt oſtendi.* Fractionem igitur illam, quam

dentibus exercemus, nil aliud exiſtimemus, quàm fidei conteſtationem (præſcindentes ab ipſa edulii indigentia) quia alias cibus merè ſpiritualis eſt. Unde Aug. apud magiſtr. ſent. *in* 4. *d*. 9. ajebat. *Ut quid paras dentem, & ventrem? Crede & manducaſti, credere enim in eum, hoc eſt comedere panem, & vinum, qui credit in eum manducat eum*.

Tali igitur pacto procedendo, ſecernitur vera communio Spiritualis à ſimplici deſiderio eam complendi, poteſt enim quis, etiam gravi detentus crimine, appetere ſic Corpore Chriſti enutriri, nec tamen Communionem exercere dicetur, quia tale deſiderium prudenter, non eſt in illo, niſi remoto tantummodò obſtaculo, adimplendum: & etiam, ſi quis v. g. ſe determinet perficere hanc ſpiritualem manducationem, quando Sacerdos in Altari Incruentum perficit Sacrificium, tunc enim toto tempore præcedenti, totius nempe anteactæ miſſæ decurſu, poterit æque bene in ſolo deſiderio perſiſtere, præfixo deinde tempore pie adimplendo, qui enim in ſolo appetitu vivit, eſt quaſi in proxima diſpoſitione ad formam, pro qua exactè, & ultimò ponenda aliquid peculiare requiritur, quòd genus materialis concurſus excedat, & propterea, vel ſimul, cum Sacerdote ſacrificium ultimò peragente, vel alio ſibi tempore præfixo, per verba præmiſſa ſpiritualis Communio compleatur.

Ita igitur porrigatur Corpus Chriſti fidelibus, ſaltem ultima ſuſpiria enumerantibus, quo pacto illud proponit S. Conc. *Trid. ſeſſ*. 13. *Can*. 8. ubi ſic legitur. *Qui voto propoſitum illum cæleſtem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus, & utilitatem ſentiunt*, & quamvis S. D. *hic art*. 1. *ſol. ad* 3. *dicat. Nec tamen fruſtra adhibetur Sacramentalis manducatio, quia pleniùs inducit Sacramenti effectum, ipſa ſacramenti ſuſceptio, quam ſolum deſiderium*. Attamen per accidens, & ex majore devotione ſuſcipientis aliter poteſt contingere, & in caſu de quo præcipuè ſermo hic breviter eſt inſtitutus, licebit multùm præſumere, quòd homo omnes ſuas vires, quaſi in puncto recoligens, majorem pro viribus fervorem accendat, pro expurgando, ac expungendo quæcumq; obſtaculo, dignum, ut paret, tanti hoſpitis interius habitaculum. Unde S.D. 3. p. q. 79. a. 5. c. magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis.

Non igitur noſtram prætereat conſiderationem, ac diutinam reflexionem, quantum ſit illud bonum, quo privantur ii, qui ad talem menſam non manuducuntur à ſuis paſtoribus, ad cujus cordatam attentionem invitat S. D. in hac 3. *p. q.* 73. *art*. 3. *ad* 2. *dicendum, quòd hæc eſt differentia inter alimentum corporale, & ſpirituale,*

quod

Digitized by Google

quod alimentum corporale convertitur in ſubſtantiam ejus, qui nutritur, & ideò non poteſt homini valere ad vitæ conſervationem alimentum corporale, niſi realiter ſumatur: ſed alimentum ſpirituale convertit hominem in ſeipſum, ſecundum illud, quòd Aug. dicit in lib. Conf. quod quaſi audivit vocem Chriſti dicentis ſibi, nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me: Poteſt autem aliquis in Chriſtum mutari, & ei incorporari voto mentis, etiam abſque hujus Sacramenti reali perceptione, ſed inquam ſolo deſiderio: Quapropter talis, ac tantus non exerceatur rigor in eos, qui alias ſana mente, & prompto animo Chriſtum cupiunt, quando etiam S. D. in *hac 3. p. q. 80. ar. 9. c.* concedit, *poſſe dari hoc Sacramentum habentibus debilem uſum rationis, & etiam ei, qui in infirmitate pęnitentiam petit, in caſu dum ad eam Sacerdos invitatus venit oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phrænesim converſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & ſi continuò creditur moriturus reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia.*

Nec prætereunda venit ponderatio, quam adducit ex noſtris Franc. Ghetius in ſuo Theſauro Animæ tom. 1. V. Communio c. 1. ubi dicit. *Tenetur, quis ex præcepto Divino in mortis articulo ſacram ſumere Communionem: unde, qui tunc temporis remiſeret ſacram Euchariſtiam ſumere, à reatu culpæ mortalis non excuſaretur, ſi tamen talis infirmus paulò ante dum eſſet ſanus, ſacra refectus fuiſſet Euchariſtia, ut inquiebat Paludanus, tunc non tenetur; niſi tamen poſtea ullum pertimeſceret criminis lethiferi remorſum; quia cum peccatum mortale ſeparet à Deo, debet iterum per ſacram Euchariſtiam incorporari Chriſto, ut notat Tabie verbo Communio §. 5. Tenetur. Hanc doctrinam docet Dominicus Sotus loco citato. Nugnus 3. p. q. 80. art. 11. concl. 3. Toletus li. 6. c. 18. nu. 4. & univerſalis Eccleſiæ mos deferendi infirmis viaticum per totum orbem Chriſtianum inviolabiliter obſervatus magnum documentum eſt ex traditione Apoſtolorum, tanquam Divino jure preceptum deſcendiſſe. Accedit verbum Concilii Nicæni, quod refertur 26. q. 6. Can. de his, videlicet, ut de his, qui decedunt de corpore, ut antique legis regula obſervetur, nempe, ut neceſſario viæ ſuæ viatico non fraudentur. Concilium etiam Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 6. ita habet. Porrò deferri ipſam Sacram Euchariſtiam ad infirmos, & hunc uſum diligenter in Eccleſiis conſervari, præterquam quod cum ſumma æquitate, & ratione conjunctum eſt, tum multis in Conciliis præceptum invenitur, & vetuſtiſſimo Eccleſiæ Catholicæ more eſt obſervatum: quare*

dentibus exercemus, nil aliud exiſtimemus, quàm fidei conteſtationem (præſcindentes ab ipſa edulii indigentia) quia alias cibus merè ſpiritualis eſt. Unde Aug. apud magiſtr. ſent. *in* 4. *d.* 9. ajebat. *Ut quid paras dentem, & ventrem? Crede & manducaſti, credere enim in eum, hoc eſt comedere panem, & vinum, qui credit in eum manducat eum.*

Tali igitur pacto procedendo, ſecernitur vera communio Spiritualis à ſimplici deſiderio eam complendi, poteſt enim quis, etiam gravi detentus crimine, appetere ſic Corpore Chriſti enutriri, nec tamen Communionem exercere dicetur, quia tale deſiderium prudenter, non eſt in illo, niſi remoto tantummodò obſtaculo, adimplendum: & etiam, ſi quis v. g. ſe determinet perficere hanc ſpiritualem manducationem, quando Sacerdos in Altari Incruentum perficit Sacrificium, tunc enim toto tempore præcedenti, totius nempe anteactæ miſſæ decurſu, poterit æque bene in ſolo deſiderio perſiſtere, præfixo deinde tempore pie adimplendo, qui enim in ſolo appetitu vivit, eſt quaſi in proxima diſpoſitione ad formam, pro qua exactè, & ultimò ponenda aliquid peculiare requiritur, quòd genus materialis concurſus excedat, & propterea, vel ſimul, cum Sacerdote ſacrificium ultimò peragente, vel alio ſibi tempore præfixo, per verba præmiſſa ſpiritualis Communio compleatur.

Ita igitur porrigatur Corpus Chriſti fidelibus, ſaltem ultima ſuſpiria enumerantibus, quo pacto illud proponit S. Conc. *Trid. ſeſſ.* 13. *Can.* 8. ubi ſic legitur. *Qui voto propoſitum illum cœleſtem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus, & utilitatem ſentiunt*, & quamvis S. D. *hic art.* 1. *ſol. ad* 3. *dicat. Nec tamen fruſtra adhibetur Sacramentalis manducatio, quia pleniùs inducit Sacramenti effectum, ipſa ſacramenti ſuſceptio, quam ſolum deſiderium.* Attamen per accidens, & ex majore devotione ſuſcipientis aliter poteſt contingere, & in caſu de quo præcipuè ſermo hic breviter eſt inſtitutus, licebit multùm præſumere, quòd homo omnes ſuas vires, quaſi in puncto recoligens, majorem pro viribus fervorem accendat, pro expurgando, ac expungendo quæcumq; obſtaculo, dignum, ut paret, tanti hoſpitis interius habitaculum. Unde S.D. 3.p.q. 79.a.5.c. magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis.

Non igitur noſtram prætereat conſiderationem, ac diutinam reflexionem, quantum ſit illud bonum, quo privantur ii, qui ad talem menſam non manuducuntur à ſuis paſtoribus, ad cujus cordatam attentionem invitat S. D. in hac 3. *p. q.* 73. *art.* 3. *ad* 2. *dicendum, quòd hæc eſt differentia inter alimentum corporale, & ſpirituale,*

quod

quod alimentum corporale convertitur in ſubſtantiam ejus, qui nutritur, & ideò non poteſt homini valere ad vitæ conſervationem alimentum corporale, niſi realiter ſumatur: ſed alimentum ſpirituale convertit hominem in ſeipſum, ſecundum illud, quòd Aug. dicit in lib. Conf. quod quaſi audivit vocem Chriſti dicentis ſibi; nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me: Poteſt autem aliquis in Chriſtum mutari, & ei incorporari voto mentis, etiam abſque hujus Sacramenti reali perceptione, ſed inquam ſolo deſiderio: Quapropter talis, ac tantus non exerceatur rigor in eos, qui alias ſana mente, & prompto animo Chriſtum cupiunt, quando etiam S. D. in *hac 3. p. q.* 80. *ar. 9. c.* concedit, *poſſe dari hoc Sacramentum habentibus debilem uſum rationis, & etiam ei, qui in infirmitate pœnitentiam petit, in caſu dum ad eam Sacerdos invitatus venit oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phræneſim converſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pænitentiam, & ſi continuò creditur moriturus reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia.*

Nec prætereunda venit ponderatio, quam adducit ex noſtris Franc. Ghetius in ſuo Theſauro Animæ tom. I. ℣. Communio c. I. ubi dicit. *Tenetur, quis ex præcepto Divino in mortis articulo ſacram ſumere Communionem: unde, qui tunc temporis remiſeret ſacram Euchariſtiam ſumere, à reatu culpæ mortalis non excuſaretur, ſi tamen talis infirmus paulò ante dùm eſſet ſanus, ſacra refectus fuiſſet Euchariſtia, ut inquiebat Paludanus, tunc non tenetur; niſi tamen poſtea ullum pertimeſceret criminis lethiferi remorſum; quia cum peccatum mortale ſeparet à Deo, debet iterum per ſacram Euchariſtiam incorporari Chriſto, ut notat Tabie verbo Communio §. 5. Tenetur. Hanc doctrinam docet Dominicus Sotus loco citato. Nugnus 3. p. q. 80. art. 11. concl. 3. Toletus li. 6. c. 18. nu. 4. & univerſalis Eccleſiæ mos deferendi infirmis viaticum per totum orbem Chriſtianum inviolabiliter obſervatus magnum documentum eſt ex traditione Apoſtolorum, tanquam Divino jure præceptum deſcendiſſe. Accedit verbum Concilii Nicæni, quod refertur 26. q. 6. Can. de his, videlicet, ut de his, qui decedunt de corpore, ut antiquę legis regula obſervetur, nempe, ut neceſſario viæ ſuæ viatico non fraudentur. Concilium etiam Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 6. ita habet. Porrò deferri ipſam Sacram Euchariſtiam ad infirmos, & hunc uſum diligenter in Eccleſiis conſervari, præterquam quod cum ſumma æquitate, & ratione conjunctum eſt, tum multis in Conciliis præceptum invenitur, & vetuſtiſſimo Eccleſiæ Catholicæ more eſt obſervatum: quare*

ſanctâ hæc Synodus retinendum omninò ſalutarem hunc, & neceſſarium morem ſtatuit, ex quibus verbis elicimus hanc conſuetudinem eſſe in Eccleſia vetuſtiſſimam, & cum perſeveraverit in Eccleſia, æſtimare poſſumus, hanc conſuetudinem fundatam eſſe in præcepto Divino obligante in articulo mortis ad Communionem, ut per illam ſe homo præparet ad tranſitum, ex hac vita: & ſubdit in fine capitis. *Hinc patet præceptum Eccleſiæ eſſe de Communione Sacramentali: unde non ſufficit communicare ſe ſpiritualiter*. Quibus verbis oſtenditur neutiquam poſſe Eccleſiæ miniſtros ſpiritualem Communionem fidelibus ſuadere in mortis articulo, ſi non adſit impedimentum ſacramentalem Communionem deferendi, qua quidem ritè ſumpta, æque bene licebit devotionis titulo iterata ſpirituali Communione, ipſis infirmis, ſe per novum charitatis augumentum inde percipiendum, nec non fidei incrementum, ſe inquam Chriſto committere.

Veruntamen ſi rigoroſa nimis videatur ſententia præmiſſorum quod Euchariſtiæ præceptio ſub mortali cadat, eam deſerenti, non tamen evadere poſſunt, quod ſalus alicui ſit obventura niſi Chriſto Domino fuerit incorporatus, cum quo tamen ſtat, quod incorporatio hæc cum Chriſto fieri poſſit etiam per antecedens Sacramentum, ut aperte docet S. D. 3. *p. q. 73. a. 3. ad 1. dicendum, quod ſicut Aug. dicit exponens illud Jo. Hunc cibum, & potum, ſ. carnis ſuæ, & ſanguinis ſocietatem vult intelligi corporis, & membrorum ſuorum quod eſt Eccleſia in prædeſtinatis, & vocatis, & juſtificatis, & glorificatis ſanctis, & fidelibus ejus: undè ſicut ipſe dicit in Epiſt. ad Bonifacium, nulli eſt aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium, Corporis ſanguiniſque Domini participem fieri, quandò in baptiſmato membrum Corporis Chriſti efficitur, nec alienari ab illius Panis Caliciſque conſortio, etiamſi antequam Panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc ſæculo in unitate Corporis Chriſti conſtitutus abſcedat*, & hoc idem Eminentiſſimus Cajetanus in præſentis articuli Commentario innuit, §. *Adverte ſecundo, quod ſecunda ratio penes modum habendi rem ſacramenti, attenditur dum baptiſmi res dupliciter tantùm haberi poſſe dicitur ſ. vel percipiendo ſacramentum: vel per votum proprium. Res autem Euchariſtiæ poteſt tripliciter haberi, vel percipiendo Sacramentum, vel per votum proprium, vel per antecedens Sacramentum; Et hic ultimus modus habendi vocatur per quandam accomodationem habere rem ſacramenti Euchariſtiæ per votum Eccleſiæ; ſicut fides puerorum vocatur fides Eccleſiæ*. Ecce igitur quod incorporatio indiſpenſabilis cum Chriſto, haberi poteſt etiam per antecedens pœnitentiæ ſacramentum; & hæc

eſt

eſt de neceſſitate ſalutis ſub præcepto. Nihilominus ſpecialis modus incorporandi ſe Chriſto jam apertè nobis donatus eſt à Chriſto, unde ſaltem ſecundum quid, & ad melius eſſe erit à fidelibus aſſumendus, neque illis à Paſtoribus occultandus, cum præcipuè famelici ejuſdem Angelorum panis ſe mox morituri oſtentent; Pietas namque Eccleſiæ tanta eſt, ut & ipſis ſcandaloſis peccatoribus maximiſque irretitis culparum ſceleribus, non deneget in extremo, hoc ſalutare viaticum, hoc enim, & ipſum innuit S. D. 3. *p. q.* 80. *a.* 6. *in C. dicens poſt penitentiam, & reconciliationem etiam publicis peccatoribus non eſt communio deneganda, præcipuè in articulo mortis, unde in Conc. Lateranenſi legitur Scenicis, atque hiſtrionibus cæteriſque hujuſmodi perſonis, vel apoſtatis converſis ad Deum reconcilatio non negetur.*

Ad quid enim valet Sacerdotis oblatio, qua videlicet promittit, ſe Euchariſtiam pro infirmo ſumpturum? Si enim putaverit ſe illi grande nimis ſpirituale beneficium allaturum omnino à ſuo cogitatu minus habens invenietur ſi hoc ad trutinam revocabimus namque *S. D. 3. p. qu. 79. ar. 7. inquirit* ℣. *hoc Sacramentum proſit aliis, quam ſumentibus*, & ait pro reſolutione, *Reſpondeo dicendum quod (ſicut prius dictum eſt.) hoc Sacramentum non ſolum eſt Sacramentum ſed etiam eſt Sacrificium: inquantum enim in hoc Sacramento repreſentatur paſſio Chriſti: qua Chriſtus obtulit ſe Hoſtiam Deo (ut dicitur Eph. 5.) habet rationem Sacrificii: inquantum vero in hoc Sacramento traditur inviſibilis gratia ſub viſibili ſpecie, habet rationem Sacramenti; Sic ergo hoc Sacramentum quidem prodeſt, & per modum Sacramenti, & per modum Sacrificii quia pro omnibus ſumentibus offertur: dicitur enim in Canone Miſſæ quotquot, ex hac altaris participatione Sacroſanctum Filii tui Corpus, & Sanguinem ſumpſerimus omni benedictione cœleſti, & gratia repleamur, ſed aliis qui non ſumunt prodeſt per modum Sacrificii, inquantum pro ſalute eorum offertur: Unde, & in Canone Miſſæ dicitur Memento Domine famulorum ſalorumque tuarum pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, pro ſe ſuiſque omnibus pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis, & incolumitatis ſuæ: & utrumque modum proficiendi Dominus expreſſit dicens Matth. 26. & Luc. 25. Qui pro vobis ſcilicet ſumentibus, & pro multis, ſcilicet aliis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Nihil ergo de peculiare confertur infirmis, quod quibuſcunque non diſtribuatur genere beneficii ſpiritualis à Sacerdote offerente, & cum præjudicio aſſumen-

Digitized by Google

te ad participationem ſui Sacramenti decedentem infirmum; quod, & docet S. D. in 4. diſt. 12. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 2. ad 4. *& ſic per modum ſacrificii, etiam aliis, quam ſumentibus prodeſt;* imò etſi S. D. aliquod juvamen concedat aliis quam ſumentibus, ex ipſa Euchariſtia, etiam in eſſe Sacramenti, ut oſtendat peculiarem iſtius Sacramenti virtutem, nihilominus tale beneficium, ex parte participantis nullatenus, vel Sacramenti, vel Euchariſtiæ ſpeciem ſortiri aliquando poterit: ait equidem S. D. in 4. diſt. 45. q. 2. ar 3. ad 3. *dicendum, quod baptiſmus, eſt quædam ſpiritualis regeneratio: unde ſicut per generationem non aquiritur eſſe niſi generato: ita baptiſmus non habet efficaciam, niſi in eo, qui baptizatur, quantum eſt ex opere operato, quamvis ex opere operante, vel baptizantis, vel baptizati poſſint aliis prodeſſe, ſicut, & cætera opera meritoria: ſed Euchariſtia eſt ſignum Eccleſiaſticæ unionis, & ideò ex ipſo opere operato, ejus efficacia in alterum tranſire poteſt, quod non contingit de aliis Sacramentis;* Quamvis igitur hæc præeminentia Euchariſtiæ concedatur: hoc non obſtante, ſimpliciter Euchariſtia ſumitur ab eo, qui eam conſumit, non qui participat, nam, ut docet S. D. 3. p. qu. 73. art. 1. in c. *ſicut ad vitam ſpiritualem oportuit eſſe baptiſmum, qui eſt ſpiritualis generatio, & confirmationem, qui eſt ſpirituale augmentum: ita oportuit eſſe Sacramentum Euchariſtiæ, quod eſt ſpirituale alimentum;* cum autem hoc alimentum in ſacrificium conſumente reperiatur, neque ullatenus poſſit unum accidens eſſe in duplici ſubjecto, ut perpetuo docet *S. D.* evidenter apparet, quod ille, qui ad participationem Sacramenti vocatur, licet aliquomodo juvetur, non tamen ex parte ipſius per modum Sacramenti id percipitur; non enim ille recipit Chriſtum, licet voto, per modum ſpiritualis alimenti, quod indiſperſabiliter requiritur: ut ibidem docet *S. D.* ad 2. *Non poteſt homini valere ad vitæ conſervationem alimentum corporale, niſi realiter ſumatur, ſed alimentum ſpirituale concernit hominem in ſeipſum*, quod ergo per modum alimoniæ non ſumitur, vitam ab Euchariſtia non communicat; & quemadodum in data hypotheſi, quod *baptiſmus* etiam ex *opere operato* alteri quam recipienti tale Sacramentum juvaret, adhuc ille, qui de tali bono participaret nullatenùs diceretur baptizari, imò rebaptizari, cum ſit impoſſibile talem effectum alicui concedi ſine requiſitis ad ipſum, nempè materia, forma, & intentione, igitur & in noſtro caſu licet aſſumatur quis ad Euchariſtiæ paticipationem etiam modo prædicto, neutiquam Sacram Synaxim ſumere credendum erit; concludamus igitur neceſſariam eſſe indiſpenſabiliter morituro

ſo incorporationem cum *Chriſto*, quæ licèt per antecedens Sacramentum ſufficienter habeatur, proprio tamen modo per *Euchariſtiam* obtinetur: unde illa altero ſaltem neceſſitatis modo venit exercenda, ſive in re, ſive in voto, per ſpiritualem communionem expreſſo; quàm quidem optimum eſſet edocere poſt penitentiæ Sacramentum à fidelibus (quibus *Euchariſtia* canonice denegetur) exercendam, & dùm ſemel titulo neceſſitatis, id agant multoties devotionis, atque charitatis augmento inſiſtentes, & quantò magis ſe ſentiant viribus corporis deſtitui, tantò ferventiùs cibo ſpirituali vitaliter ſtudeant enutriri, ut in eo, quod caro deficit, ſpiritus reviviſcat.

Veruntamen ſi nulla adſit juſta cauſa advertant Eccleſiarum rectores, ac præſides, quanta ſit obligatio eis injuncta à Sacroſanctis Conciliis, quantaque injuria ſit illata Eccleſiæ Catholicæ vetuſtiſſimæ conſuetudini, in ſacra *Euchariſtia* infirmis extremè deferenda, atque donanda: in quo quidem puncto ſi negligenter ſe gerant, tantum malum ab eis perpetratum noverint, quantum eſt bonum, quod quaſi terram fodientes ſuffocant, & abſcondunt, de qua re diſertè *S. D.* differit *Op.* 58. in cujus capite 21. ait, *de Corpore Chriſti manat umbra gratiæ, quæ nobis defenſaculum eſt contra incentiva vitiorum, & carnalis concupiſcentiæ: unde dictum eſt de Virgine Maria, virtus altiſſimi obumarabit tibi, ideſt umbram faciet tibi: Umbra enim ſit de corpore, & lumine, lumen eſt verbum Dei, Corpus Caro Chriſti: acceſſit lumen corpori, ideſt Verbum carni: Verbum enim caro factum eſt; Dum ergo fidelis Corpus Chriſti ſumit, ſpirituale refrigerium percipit, quaſi de umbra gratiæ, quæ de ipſo fluit*: Et quia, ut S. D. præmiſit in eodem loco: *Parentes primi pervetiti à Deo pomi guſtum corrupti multas infudere miſerias ſuo generi, neceſſarium fuit medicamento*; has autem miſerias, & languores ad duodecim uſque ipſe perducit, totidemque de Sacramento remedia enumerat ad longum, & diſertiſſime per plura capita, quæ ſic brevi manu perſtringuntur, *Sunt igitur languores noſtri dæmonis tentatio, fomitis repugnatio, cordis macula, creatoris offenſa, defectus in cognione ſui, in dilectione proximi, in ſapore ſpirituali, in conſummatione boni, debitum mortis æternæ, defluxus bonæ vitæ, exilium mundanæ miſeriæ, & incineratio corporalis materiæ.*

Contra hæc valet fructus Virginis, ſcilicet Corpus Salvatoris Junt igitur duodecim fructuoſi effectus Euchariſtiæ, nempe quia Euchariſtia Demonem fugat, fomitem refrigerat, maculam cordis mun-

dat,

dat, iram Dei placat, intellectum ad ſeipſum cognoſcendum illuminat, voluntatem ſive affectum in dilectionem Dei, & proximi inflammat, memoriam ſpirituali dulcedine delectat, totum hominem in bono confirmat, ab æterna morte liberat, merita bonæ vitæ multiplicat, ad patriam æternæ vitæ deducit, & ad æternam vitam corporis reſuſcitat: Præter quam quod, ut præmiſit S. D. Opuſc. 57. *c.* 24. *effectus, ſive fructus principales Euchariſtiæ ſunt tres: ſcilicet peccatorum deſtructio: bonorum ſpiritualium largitio, vel augmentatio, & animarum confortatio, vel vitæ æternæ collatio.*

Ad quid ergo arma detrahere homini, qui ultimo periculo, cum vigili hoſte ſummum expectat ſubire certamen? Simus ergo ſolliciti, ad quos ſpectat fidelium cura, ut quemadmodùm communiter inſtruuntur fideles, de eliciendo actu contritionis, cum Sacramento in voto, in caſu, quod Sacerdote abſente Sacramentalis pœnitentia perfici nequeat, ita & eadem cuſtodia ſerventur greges à lupo; injuncta ipſis ſpirituali communione in defectu Sacramentalis, ea tamen in voto habita, quod & confirmat S. D. 3. p. q. 62. ar. 2. c. *nec aliquis habet gratiam ante ſuſceptionem hujus ſacramenti, vel niſi & aliquo voto ipſius, vel per ſe ipſum, ſicut adulti, vel voto Eccleſiæ ſicut parvuli.*

Ex quibus collectim ſumptis, dubio procul ſatis conſtat, qualiter opportunius ſint inſtruendi fideles de hac ſacra, atque ſpirituali refectione, quàm eos ad participationem alieni Sacramenti invitare: meliùs eſt enim cuilibet in domo propria paratam poſſidere menſam, quam de amici convivio, ne dum micas cadentes, verum ſolum ipſum epularum odorem ſuſcipere.

Praxis Spiritualis Communionis.

PRimo dixerim conficiendum breviter, pro viribus actum ſupernaturalis contritionis humiliter illum à Deo præoperante, & coadjuvante impetrando, nempe Confeſſionem generalem recitando: vel eandem alia methodo ſic diſponendo. Confiteor me peccaſſe cogitatione, loquutione, opere, & omiſſione, meque reum conſtituo coram, & apud Te SS. Trinitatem, Deum Unum in eſſentia, & Trinum in Perſonis. Abhorreo leve, ſed magis grave peccatum, utpote ſummum malum reſpectivè ad infinitam bonitatem Dei offenſi; & doleo propter illud, me non dilexiſſe Te ſummum bonum; neque audeo oculos ad cælum levare, ſed tantummodo per mediatorem Dei, & Dominum Jeſum Chriſtum, & per ejus infiniti meriti paſſionum, & mortem accede confidenter ad Thronum tuæ

ex-

excelſiſſimæ majeſtatis, fiducialiter expectans peccatorum remiſſionem; & ita, conteſtor tua coadjuvante dextera perſeverantiam in bono, ut te nunc ſuper omnibus ſemper diligendo, tecum in æternum cum Chriſto vivere valeam. Amen.

Hoc ergo cordatis ſenſibus peracto, debet ulterius fidelis actum fidei elicere, quo credere ſe fateatur firmiſſimè (& id quidem in lumine fidei cognoſcens) realem Chriſti Corporis in Euchariſtia præſentiam, per cujus ſumptionem ſperat tantum gratiæ, & charitatis, fideique augmentum, ut jam in hujus ſacramenti perceptione, æternæ vitæ conſortium omnino ſitum eſſe certò ſciat;

His autem peractis pro temporis opportunitate, debet eſſe ſolicitus fidelis de genuina praxi communionis ſpiritualis; pro qua vindicanda conſiderandum omninò venit, quemadmodum eam non ſemel deficienter præſcribant nonnulli ex auctoribus, de hac re (quam regulariter: vernaculo exprimunt ſcripto) tractantes: quapropter ab aliquo ex his, *(a)* recitatur nobilis vir (ibi etiam expreſſo nomine) qui ſolitus in dies ſpiritualem peragere Communionem excogitavit, quaſi in ore tunc haberet Sacroſanctam Particulam ſuper quà nimium jucundabatur. Cui quidem methodo ſubſcribit alius, *(b)* etiam inter hos claræ notæ diſponens, quod quemadmodum gulæ vitio detentus animo oculiſque præripitur, quaſi præceps in rem, quæ nimium guſtum alliciat: ita Dei famulus cor, & oculos pene debeat conſumere erga hunc Divinum cibum: & quando Sacerdos Sacrificium conſummaturus os aperit, debet pariter fidelis proprium reſerare, vehementi adjuncto deſiderio talem ſumendi Divinum cibum; & in tali diſpoſitione permanere panem Angelorum nempe, in ore detentum deguſtando.

Sed vere hic modus non exhibet manducationem licet ſpiritualem, niſi initiative, cum illa non in ſolo ore, ſed intrà hominem petat compleri: & eo vel magis, quod *Euchariſtia eſt medicina confortativa.* ut ait *S. D.* 3. p. q. 80. a. 4. ad 2. unde ſi non intromittatur confortativa non erit. Si ergo contingat, quod ex abundantia fidei formatæ etiam ſenſibilis natura excitetur: conſequens eſt, quod qui nititur quaſi practice intra os ſpecies Sacramentales habere, debet ulterius eos pectori intentionali ſimul, ac coexercita forma comimttere: quod quidem ipſis valde rudibus permaximè utile erit, qui niſi vel deglutire videantur ſpecies ipſas Sacramentales, ſolo ipſo deſiderio, ac ſola ipſamet intenſione non ſibi eſſe ſufficientes judi-

E cant,

(a) *P. F. P. 8. C. 3. P. 5.* (b) *P. R. T. 8. C. 15. P. 2.*

cant, ac teſtantur, ut ſpiritualem peragant Sacram Communionem.

Verum & multo minus hanc metam tangunt qui ſolùm Angelorum Communionem hominibus exhibent exercendam: Hinc etiam, pariter recedunt, qui ſubſcribunt cuidam auctori, (a) edocenti, inter cæteros modos, debere fidelem, ſpiritualem Communionem peragere cupientem, vocare Chriſtum Dominum, & magno deſiderio illum invitare, ad hoc, ut ſua gratia ſemetipſum ſanet, & ab inimicis protegat: nam ſic nulla mentio fit de ſpeciebus ipſis Sacramentalibus, neque de modo ſpeciali, quò gratia in hoc Sacramento confertur, ſed de gratia communiter dicta: ait enim S. D. 3. p. q. 62. a. 2. in C. *Gratia Sacramentalis addit ſuper gratiam communiter dictam, & ſuprà virtutes, & dona quoddam auxilium Dei, ad habendum Sacramenti finem*: & q. 79. a. 1. per totum S. D. id explicat: & ait *ad 1. dicendum, quod hoc Sacramentum ex ſe ipſo virtutem habet gratiam conferendi*, & infrà ibidem. *Tertio conſideratur effectus hujus Sacramenti, ex modo quo traditur hoc Sacramentum, quod traditur per modum cibi, & potus, & ideò omnem effectum, quem cibus, & potus materialis facit quantum ad vitam corporalem (quod ſ. ſuſtentat, auget, reparat, & delectat) hoc totum facit hoc Sacramentum, quantum ad vitam Spiritualem.*

Unde hac re congruentius penſata: ita ſic exerceatur: quod nempe præmiſſis, contritionis, ac fidei actibus, nec non verbis illis prolatis, quæ ad realem Chriſti Corporis exhibitionem ſolent à Sacerdote prænuntiari, (aptata tamen formula ipſi ſuſcipienti per ly cuſtodiat animam meam, &c.) voto mentis, ac cordis affectu ſpeties ipſas Sacramentales, cum Chriſti Corpore in illis contento, intra animam ſuam mentaliter ſuſcipiat: id quidem perficiendo majori quà poterit devotione: & ſi in tali functione ſenſibile gaudium exurgere videatur, ferventius tunc ſtuduerit Divino, ac ſpirituali prorſus cibo enutriri, ut ita intimius Chriſto incorporetur; in dubium eſt enim quod ſi Spiritualis Communio per analogiam ad Sacramentalem perficiatur; mens interioris dulcedinis pinguedine plus, & minus abundabit, quanta fuerit ſumentis præparatio, mentiſque devotio; ex quo piè prudenterque ſperare poterit fidelis, ut, ſicut Chriſtus in Cruce moriens, ſumma charitatis abundantia æterno ſe Patri commiſit, ita tanti magiſtri ſemitam ſectando, ad ipſius Chriſti ſollicitum amplexum ab hac vità recedens, videat ſe indubitanter reſtitui.

Finis Diſſertationis Secundæ.

DIS-

(a) *P. Sc. C. 56.*

DISSERTATIO TERTIA.

De Propoſitionibus proſcriptis à ſummis Pontificibus.

INNOCENTIO X.
ALEXANDRO VII.
INNOCENTIO XI.
ALEXANDRO VIII
ET INNOCENTIO XII.

A Doctrina D. THOMÆ prædamnatis.

TENOR

Innocentianæ Bullæ emanatæ

Anno 1653.

NOs, quibus inter multiplices curas, quæ Animum noſtrum aſſidue pulſant, &c.

Confutationem verò quinque propoſitionum, quæ in prædicta Bulla proſcribuntur, habebis pag. 140. ubi citatur Breve S. D. N. Innocent. XII. ad Epiſcopos Belgii.

Feria v. die 24. Septembris 1665.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo D. N. ALEXANDRO Divina Providentia Papa VII. ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana adverſus hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter Deputatis.

SANCTISSIMUS D. N. audivit non ſine magno animi ſui mœrore, complures opiniones Chriſtianæ Diſciplinæ relaxativas, & Animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire. Et ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omninò ab Euangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela. Quare, ne nullo unquam tem-

tempore via ſalutis: quam ſuprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu verius perverti contingeret, idem Sanctiſs. D. N. ut oves ſibi creditas ab ejuſmodi ſpatioſa, lataque per quam itur ad perditionem, via pro paſtorali follicitudine in rectam ſemitam evocaret, earundem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deindè Eminentiſs. & Reverendiſs. DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem General. Inquiſit. ſeriò commiſit: Qui tantum negotium ſtrenuè aggreſſi, eique ſedulò incumbentes, & mature diſcuſſis, uſque ad hanc diem infraſcriptis Propoſitionibus, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati ſuæ ſingillatim expoſuerunt.

Quibus peractis, dùm ſimilium Propoſitionum examini cura, & ſtudium impenditur, intereà idem Sanctiſſimus re maturè conſiderata ſtatuit, & decrevit, prædictas Propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut nimirum, tanquam ſcandaloſas, eſſe demnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet. Ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua uon poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alia quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum, ad praxim deducant.

Jo: Lupus S. Rom. & Univerſal. Inquiſition. Notar. &c.

Loco ✠ Sigilii.

Anno à Nativitate D. N. JESU Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo quinto. Indictione tertia, die verò 2. menſis Octobris, Pontificatus autem Sanctiſs. in Chriſto Patris D. N. D. ALEXANDRI. Divina providentia Papa VII. anno undecimo ſupradictum decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Carolum Melanum

Digitized by Google

num ejuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem.

I.

Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

OPponit S.D.2.2.q.22. a.1. in c.ubi reſolvens quæſitum, v. de ſpe debeat dari aliquod præceptum hæc habet. Reſpondeo dicendum, quod præceptorum, quę in Sacra Scriptura inveniuntur, quędam ſunt de ſubſtantia legis, quædam vero ſunt præambula ad legem; Præambula quidem ſunt ad legem illa, quibus non exiſtentibus, lex locum habere non poteſt: hujuſmodi autem ſunt præcepta de actu fidei, & de actu ſpei: quia per actum fidei mens hominis inclinatur, ut recognoſcat actorem legis talem cui ſe ſubdere debeat: per ſpem vero præmii homo inducitur ad obſervantiam præceptorum: Præcepta verò de ſubſtantia legis ſunt, quæ homini jam ſubjecto, & ad obediendum parato imponuntur pertinentia ad rectitudinem vitæ. Et ideo hujuſmodi præcepta ſtatim in ipſa legiſlatione proponuntur per modum præceptorum, quia niſi homo jam crederet, & ſperaret fruſtra ei lex proponeretur: Sed ſicut præceptum fidei proponendum fuit per modum denuntiationis, & commemorationis, ut ſuprà dictum eſt: ita etiam præceptum ſpei in prima legiſlatione proponendum fuit per modum promiſſionis; Quod enim obedientibus præmia promittit, ex hoc ipſo incitat ad ſpem; Unde omnia promiſſa, quæ in lege continentur, ſunt ſpei excitativa: Sed quia lege jam impoſita, pertinet ad ſapientes viros, ut non ſolum inducant homines ad obſervantiam præceptorum, ſed etiam multo magis ad conſervandum legis fundamentum: ideo poſt primam legiſlationem in Sacra Scriptura multipliciter inducuntur homines ad ſperandum, etiam per modum admonitionis, vel præcepti, & non ſolum per modum promiſſionis ſicut in lege: ſicut patet in Pſ.61.ſperate in eo omnis congregatio populi, & in multis aliis ſcripturę locis. *Ecce ergo quàm firmiter de Theologica fide, & ſpe ſtabiliatur præceptiva horum mandatorum obſervantia; quod autem ad Charitatem attinet exponit* S. D. 1. 2. quæ. 100. ar. 10. *ubi reſolvens dubium*, v. modus charitatis cadat, ſub præcepto pro reſolutione ait. Reſpondeo, quòd circa hoc fuerunt contrariæ opiniones quidam enim dixerunt, abſolutè modum charitatis eſſe ſub præcepto: nec eſt impoſſibile obſervare hoc præceptum, charitatem non habenti,

quia

quia poteſt ſe diſponere ad hoc, quòd charitas ei infundatur à Deo, nec quandocumque aliquis non habens charitatem, facit aliquid de genere bonorum peccat mortaliter, quia hoc eſt præceptum affirmativum, ut, ex charitate operetur, & non obligat ad ſemper, ſed prò tempore illo quo aliquis habet charitatem. Alii verò dixerunt, quod omninò modus charitatis non cadit ſub præcepto: Utrique autem quantùm ad aliquid verum dixerunt: actus enim charitatis dupliciter conſiderari poteſt: Uno modò, ſecundum quod eſt quidam actus per ſe: & hoc modo cadit ſub præcepto legis, quod de hoc ſpecialiter datur: ſcilicet, diliges Dominum Deum tuum, & diliges proximum tuum, & quantum ad hoc primi dixerunt verum: non enim eſt impoſſibile hoc præceptum obſervare, quod eſt de actu charitatis, quia homo poteſt ſe diſponere ad charitatem habendam, & quando habuerit eam poteſt ea uti: Aliò modo poteſt conſiderari actus charitatis ſecundum quod eſt modus aliarum virtutum, hoc eſt ſecundum quod actus aliarum virtutum ordinantur ad charitatem, quę eſt finis præcepti, ut dicitur I. ad Tim. I. dictum eſt enim ſupra quod intentio finis eſt quidam modus formalis ſuperioris ordinis actus ordinati in finem, & hoc modo verum eſt, quod ſecundi dixerunt, quod modus charitatis non cadit ſub præcepto: hoc eſt dictum, quod in hoc præcepto honora patrem non includitur, quod honoretur pater ex charitate, ſed ſolum quod honoretur pater: unde qui honorat patrem licet non habeat charitatem non efficitur tranſgreſſor hujus præcepti, etſi ſit tranſgreſſor præcepti, quod eſt de actu charitatis, *& ſubdit* S. D. ad ſecundum dicendum, quod ſub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde: ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum, & ideo præceptum charitatis implere homo non poteſt, niſi etiam omnia referantur in Deum, *igitur ex primo modo allato à S. D. apparet quanta ſit hujus pręcepti indiſpenſabilis obligatio, & conſequenter* S. D. in Op. 2. c. 13. *ait*. Quia igitur ad ſalutem noſtram poſt fidem, etiam ſpes requiritur opportùnum fuit, ut Salvator noſter ſicut auctor, & inſtitutor nobis factus eſt fidei reſervando cœleſtia Sacramenta; ita etiam nos in ſpem vivam induceret nobis formam orandi tradens, per quam maximè ſpes noſtra in Deum erigitur, dum ab ipſo Deo edocemur, quid ab ipſo petendum ſit, *& ſubdit* Op. 4. c. 1. Tria ſunt homini neceſſaria ad ſalutem ſcilicet ſcientia credendorum, ſcientia deſiderandorum, & ſcientia operandorum. Primum docetur in ſymbolo, ubi tractatur ſcientia de Articulis Fidei. Secundum in Oratione Dominica: Tertium autem in lege: *atqui, ut ait idem S. D. loc. ſup. citi*

2. 2. q. 2. ar. 3. præcepta legis, quæ homo tenetur implere dantur de actibus virtutum, qui ſunt via perveniendi ad ſalutem, *igitur nedum hoc verificatur de actu Fidei, & ſpei, quin, & magis de actu charitatis, nam, ut docet S. D.* 2. 2. q. 184. ar. 3. in c. ſecundo dicendum, quod perfectio dicitur in aliquo conſiſtere dupliciter uno modo per ſe, & eſſentialiter alio modo ſecundario, & accidentaliter. Per ſe quidem, & eſſentialiter conſiſtit perfectio Chriſtianæ vitæ in charitate principaliter quidem ſecundum dilectionem Dei: ſecundario autem ſecundum dilectionem proximi, *atqui iſta perfectio, alias præcepta, ut ſupra dictum eſt non conſiſtit in ſolo habitu, ſed in actibus charitatis, ille enim eſt ulterius perfectibilis ab ipſo actu, igitur concludendum venit communiter de Tribus virtutibus Theologicis per ſequentia, quæ proponit* S. D. 1. Tim. c. 1. *ad ea verba.* Finis autem, *&c. ubi ſic habet*: Oſtendit quid de lege ſit tenendum, & circa hoc duo facit, quia primo oſtendit hoc; Secundo quod periculum eſt his, qui hoc non tenet, ibi à quibuſdam, *&c.* Circa primum ſciendum eſt, quod lex vetus dicitur lex mandatorum, quia mandatis, & præceptis continetur Eph. 2. legem mandatorum decretis evacuans: Illud ergo ad quod ordinantur omnia mandata legis, eſt præcipuè tenendum, hæc autem eſt charitas Matth. 22. Diliges Deum toto corde tuo, *&c. & paulo poſt*. In his duobus mandatis univerſa lex pendet, Sed quomodo charitas eſt finis præceti? Ad hoc ſciendum duo ſunt conſideranda. Primo quod omnia præcepta legis ſunt de actibus virtutum, & quod per omnes actus virtutum ordinatur homo unus ad alium. Secundo, quod objectum unius virtutis eſt finis alterius, quia quandocumque una potentia eſt circa aliquem finem, ad illam ordinantur omnia quæ ſunt ejuſdem, ſicut ad finem, ſicut frenefactiva ad equeſtrem, quia officium equeſtris eſt ejus finis, hæc autem ad Ducem. Virtutes autem Theologicæ ultimum finem habent pro objecto. Alię autem ſunt circa ea, quæ ſunt ad finem. Virtutes ergo omnes reſpiciunt Theologicas ſicut finem: Inter Theologicas verò illa plus habet de ratione finis, quæ propinquius ſe habet ad ultimum finem. Fides autem oſtendit eum. Spes facit tendere in eum, Charitas unit; ergo omnes ordinantur ad Charitatem, & ſic dicitur Charitas finis præceptorum ſecundum ea, quæ ſunt ad finem diſponunt ad fidem: præcepta autem ſunt ad Charitatem; ideò diſponunt ad eam, ideò dicit de corde puro; ad hoc enim quod ſit purum dantur præcepta virtutum, quorum quædam ordinatur ad modum rectificandi paſſiones, quorum ſcilicet virtutum materiæ ſunt paſſiones, ſicut temperantia, quę ordinat concupiſcentiam, manſuetu-

do

do iras, fortitudo timores, & audacias; *& ſubdit*: Et ideo præcepta, quæ conſcientiam rectificant, bene diſponunt ad Charitatem; Aliæ autem ſunt virtutes ad habendam veram fidem, ſcilicet virtutes, quibus Deum colimus, ſcilicet latrię, & hujuſmodi, quę ſunt ordinatę ad removendum errores, & ad confirmandum in Cordibus fidei firmitatem de Deo: *Cum igitur dentur præcepta de actibus virtutum non Theologicarum; multo magis, ut ex littera multoties liquet de actibus virtutum Theologicarum, id eſt aſſerendum, & ſic luce ipſa clarius patet, quam falſo dicantur, quæ in præmiſſa propoſitione continentur;*

II.

Vir equeſtris ad dubium provocatus, poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

EXaminans Angelicus Præceptor in 2.2. q. 95. ar. 4. ad 3. an judicium ferri candentis, & aquæ ferventis ſit illicitum? *ſubdit* & eadem ratio videtur eſſe de lege duellorum, niſi quod plus accedit ad communem rationem ſortium, inquantum non expectatur ibi miraculoſus effectus, niſi quando pugiles ſunt valde impares virtute, vel arte. *Et ſic ex hac parte duellum damnatur. Ad removendum autem illud etiam, ex motivo timiditatis fugiendæ docet* 2.2. q. 64. ar. 3. ad 3. dicendum, quod facere aliquid ad utilitatem communem, quod nulli nocet, hoc eſt licitum cuilibet privatæ perſonæ, ſed ſi ſit cum nocumento alterius, hoc non debet fieri, niſi ſecundum judicium ejus, ad quem pertinet ęſtimare quid ſit ſubtrahendum partibus pro ſalute totius: *Si ergo nulli licet, ex privatis hominibus aliquem occidere ob utilitatem etiam communem, multò magis, id erit vetitum ob ſolam verecundiam fugandam: Qua verò ratione timiditas ſit fugienda docet S. D.* 2.2.q.142. ar. 3. in c. dicens, ſed pericula mortis rarius occurunt, & periculoſius in his homo exercitatur, ad timiditatem fugiendam; *Atqui periculum mortis in duello eſt omnino fugiendum, ergo in hoc non eſt locus, ut exerceatur ad timiditatem fugiendam, præcipue modo omnino ſibi illicito, ut ſupra oſtenſum eſt, & propterea male dicitur quidquid refertur in præmiſſa propoſitione, quàm etiam clarius evertit* S. D. 2.2. q. 116. art. 2. ad 3. dicendum quod ſicut dictum eſt verecundia reſpicit turpitudinem peccati; Unde non ſemper magis verecundatur homo de graviori peccato, ſed de magis turpi peccato, & inde eſt, quod magis verecundatur homo de adulatione, quàm de

Digitized by Google

de litigio quamvis litigium ſit gravius, *Ecce igitur*, quod litigium peccatum grave eſt non obſtante, quod homo de ipſo non multum verecundetur.

III.

Sententia aſſerens bullam cęna ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non dęrogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt an. 1692. 18. Julii in Conſiſt. Sac. Congr. Eminen. Card. Viſa, & tolerata eſt.

OP. *S. D. Ad Gal.* 2. Lec. 2. Reſpondeo dicendum quod hæreticus poteſt dici aliquis, vel quia ſimpliciter errat, ex ignorantia, & ex hoc non eſt excommunicatus, vel quia errat, ex pertinacia, & alios nititur pervertere, & tunc incurrit in Canonem latæ ſententiæ; *Et ſi dicas quod propoſitio loquitur de hæreſi privata, tamen illa etiam ſimpliciter hæreſis eſt; nam, ut ait* S. D. qu. 8. de malo ar. 1. ad 7. Reſpondeo dicendum, quod pertinacia ſola facit hæreticum: *ergo jam adeſt fundamentum, ut homo excommunicationi ſubjectus ſit, ac propterea dignus illis pænis reſpective, quas* S. D. aſſignat 2.2. q. 11. ar. 3. in c. nam ſi falſarii pecuniæ, vel alii malefactores ſtatim per ſæculares principes juſtè morti traduntur, multo magis hæretici, ſtatim ex quo de hæreſi convincuntur, poſſunt non ſolum excommunicari, ſed & juſte occidi: Ex parte autem Eccleſiæ eſt miſericordia ad errantium converſionem, & ideo non ſtatim, ſed poſt primam, & ſecundam correptionem, ut Apoſtolus docet, poſtmodum verò ſi adhuc pertinax inveniatur, Eccleſia de ejus converſione non ſperans aliorum ſaluti providet, eum ab Eccleſia ſeparando per excommunicationis ſententiam; & ulterius relinquit eum judicio Sęculari à mundo exterminandum per mortem: dicit enim Hieron. ut habetur 24. q. 3. reſecandæ ſunt putridæ carnes, & ſcabioſa ovis à caulis repellenda, ne tota domus, maſſa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putreſcant, intereant. Arrius in Alexandria una ſcintilla fuit, ſed quoniam non ſtatim oppreſſus eſt, totum orbem ejus flamma depopulata eſt; *Non ergo bene toleraretur ab Eccleſia hac noſtra ætate, quod etiam occulta hæreſis excommunicationi non eſſet abnoxia, & ſufficit cum illa ſit privata, quod publicæ mortis pæna non puniatur privatus hæreticus.*

Præ-

IV.

Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.

OP.S.D. in 4. ſ. d. 19. q. 1. a. 3. q. 1. in C. Etiam in cœleſti hyerarchia ſub poteſtatibus, qui indiſtinctè præſunt, ponuntur principatus, qui ſingulis provinciis diſtribuuntur: & ſub his Angeli, qui ſingulis hominibus in cuſtodiam deputantur. Unde & ita debet eſſe in prælatione Eccleſiæ militantis, ut apud aliquem eſſet prælatio indiſtincte in omnes: & ſub hoc eſſent alii, qui ſuper diverſos diſtinctam poteſtatem acciperent: & quia uſus clavium requirit aliquam prælationis poteſtatem, per quam ille, in quem uſus clavium communicatur, efficitur materia propria illius actus: ideò ille, qui habet indiſtinctam poteſtatem ſuper omnes, poteſt uti clavibus in quemlibet: illi autem, qui ſub eodem diſtinctas poteſtates acceperunt, non in quolibet poſſunt uti clavibus, ſed in eos tantum, qui eis in ſortem venerunt, niſi in neceſſitatis articulo, ubi nemini Sacramenta ſunt deneganda; *Ecce igitur quid naturali poteſtate contingat prælatis regularium.*

V.

Quamvis evidentèr tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.

OP.S.D. 2.2. q. 10. a. 7. in c. Hæretici ſunt corporaliter compellendi, ut impleant quod promiſerunt, & teneant quod ſemel ſuſceperunt. *Atqui etiam occultus ſimpliciter eſt hæreticus, neque poteſt deſerere, quod ſemel ſuſcepit, & compelli non poſſet niſi Eccleſiæ denuntiaretur. igitur male dicitur id, quod præmiſſa propoſitio prætendit: quam expreſſius confutat* S. D. 2.2.q.68. a. 2.ad 3. dicendum quod denuntiator non obligat ſe ad probandum: unde nec punitur ſi probare nequiverit: & propter hoc in denuntiatione non eſt neceſſaria ſcriptura: ſed ſufficit ſi aliquis verbo denuntiet Eccleſiæ, quæ ex officio ſuo procedet ad fratris emendationem. *Igitur motivum in propoſitione adductum inane eſt.*

VI.

Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti Chartam poſtea legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in confeſſione; ac proinde non eſt denunciandus.

OP. S. D. in 4. d. 16. q. 3. a. 2. quæſtiunc. 5. ad 4. dicendum, quod circumſtantiæ particulares peccati carnalis, quæ in aliam ſpeciem peccati mortalis trahunt, ſemper ſunt confitendæ, quia gratia, quæ in Sacramento Pœnitentię datur, reſtaurat, ſi qua inclinatio ad peccatum, ex talium cogitatione proveniat, vel in confitente, vel in Sacerdote. Unde dicit Gregor. in Paſtor., fit plerumque, ut dum rectoris animus aliena tentamenta cognoſcit, auditis tentationibus etiam ipſe pulſatur, ſed hæc nequaquam paſtori timenda ſunt, quia tanto facilius à ſua eripitur, quanto miſericordius ex aliena tentatione fatigatur. Si tamen Sacerdotem laſcivum, & ad hujuſmodi peccata pronum viderit, debet accipere licentiam confitendi alteri Sacerdoti, & ſi non, deberet ad ſuperiorem recurrere. *Igitur ſi pro ſua particulari utilitate debet pœnitens ſuperiorem adire; jure meritò vult Eccleſia pœnitentem adire debere ſuperiorem pro bono communi.*

Et inſuper S. D. ibi quæſtiunc. 2. in c. ait: peccatum dupliciter contingit, vel ex eo, quòd actus non eſt proportionatus fini, ſicut in his, quæ ex ſe mala ſunt, vel quia inordinatè refertur in finem, ſicut patet in his, quæ mala intentione fiunt, etiamſi ex ſe bonum ſit, quod fit, & quia unumquodque tale, & illud magis, ideò quantitas malitiæ peccati magis conſideratur ſecundum relationem inordinatam in finem, quam etiam ſecundum improportionem in finem. Ad ordinem autem ad finem pertinet cujus gratia, & ideò ſuper omnes alias conſideranda eſt in judicando de quantitate peccati; ad hoc autem, quod actus ſit improportionatus fini pertinet hæc circumſtantia quid, per quam importatur ratio mali in actu: & ideò omnia, quæ poſſunt peccato ſpeciem tribuere, in hac circumſtantia inducuntur. *Cum igitur Confeſſarius utatur Sacramentali Confeſſione, quæ alias bona eſt ad malum finem, ut nempe tradat veneficam chartam mulieri, peccat, peccato ſumente ſuam ſpecificationem ab eo, cujus gratia ſit, unde actio bona, mala evadit, i. confeſſio, ſollicitatio, & locus, & tempus habent rationem circumſtantiæ aggravantis, & magis perſona, nam ut ſub-*

 dit,

dit, S. D. ibi & Phil. 3. Ethic. quòd principaliſſima in actu ſunt in quibus conſiſtit actus, & cujus gratia, aliæ autem circumſtantiæ magis, & minùs aggravant, ſecundum quòd his, magis, vel minùs propinquæ ſunt, & ideò tempus, & locus minùs aggravare natæ ſunt, ſed inter eas conditio perſonæ magis, quia actio directius correſpondet fini; *at verò loquendo de loco ſacro, quam non agnovit Phil. ait S. D. 2. 2. q. 99. a. 3. in c.* Reſpondeo dicendum, quòd, ſicut ſuprà dictum eſt peccatum ſacrilegii in hoc conſiſtit, quod aliquis irreverenter, ſe habet ad rem Sacram, & *infrà*. Attribuitur autem Sanctitas, & perſonis Sacris, i. Divino cultui dedicatis, & locis ſacris, & rebus ſacris. *Cum igitur finis, det ſpecificationem, & unitatem actui, & aliàs omnes circumſtantiæ in unum refundantur abjectum, nempè cujus gratia fiunt, neutiquam dubitandum venit eam fuiſſe ſollicitationem in Confeſſione patratam, qua uſus eſt, ut chartam traderet, & cujus gratia talem adiit locum ſacrum violandum; Unde per optimè ait*, S. D. duplici pœna puniendus eſt ſacrilegii peccato multipliciter irretitus, *ait enim ibi a. 4.* ad 2. dicendum, quòd neceſſe eſt duas pęnas adhiberi quandò per unam non ſufficienter revocatur aliquis à peccando, & ideò oportuit ſupra pęnam excommunicationis adhiberi aliquam temporalem pęnam ad coercendum homines, qui ſpiritualia contemnunt, *ex quibus patet, quam liquido præmiſſa confutetur propoſitio.*

VII.

Modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante: hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denunciandi.

OP. S. D. in 4. d. 21. In Expl. lit. ad dubium, quando quis poſſit alteri confiteri, quam proprio Sacerdoti? ait. Reſpondeo dicendum, quod quando Sacerdotis ignorantia poſſet hominem inducere in errorem, tunc de licentia Sacerdotis, vel Superioris debet alium petere prudentiorem: Quinque tamen caſus ponuntur, quibus licet aliis confiteri, quam proprio Sacerdoti ſine ejus licentia. Primus eſt ſi ſit vagabundus: Secundus ſi mutat domicilium: Tertius ſi offendit in aliena Parochia: Quartus propter malitiam Sacerdotis, ſi revelat confeſſiones, vel incitat ad malum: Quintus in articulo neceſſitatis. *Cum ergo non bene faciat ſollicitatus accedere ad Confeſſionem ſollicitantis, jure merito in ejus Confeſſione non tollitur obligatio ſollicitantem denunciandi.*

Dupli-

Digitized by Google

VIII.

Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem miſſa licitè accipere applicando petenti partem ejus ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt decretum Urbani VIII.

O P. S. D. in 4. d. 25. q. 3. a. 2. quæſtiunc. 1. ad 4. docet, quod facere pactionem de Miſſa celebranda eſt ſimoniacum ſemper. Si tamen non habet alios ſumptus, & non tenetur ex officio Miſſam Cantare, poteſt accipere denarios, ſicut conducti Sacerdotes faciunt, non quaſi prætium Miſſæ, ſed quaſi ſuſtentamentum vitæ; *atqui applicans partem, & partem Miſſæ, ſacrificium in prætium daret. ergo jam male ſonat quod præmiſſa propoſitio exponit.*

IX.

Poſt decretum poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur per alium ſatisfacere, collocato illi minore ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.

O P. S. D. 2.2.q.86. ar.1. ad 3. Reſpondeo dicendum, quod illi, qui oblationes debitas non reddunt, poſſunt puniri per ſubtractionem Sacramentorum: *ergo ſimiliter, qui oblationes integras pro Sacrificio non reddit Sacerdoti celebranti, injuſtum facit: quod quidem non licet: nam ut ait* S. D. 2.2. q.57. a. 2. ad 2. dicendum, quod voluntas humana ex communi condicto poteſt aliquid facere juſtum in his, quæ ſecundum ſe non habent aliquam repugnantiam ad naturalem juſtitiam; & in his habet locum jus poſitivum. Unde Philoſ. dicit in 5. Eth. quod legale juſtum eſt, quod & principio quidem nihil differt ſic, vel aliter: quando autem ponitur differt. Sed ſi aliquid de ſe repugnantiam habeat ad jus naturale, non poteſt voluntate humana fieri juſtum: puta ſi ſtatuatur, quod liceat furari; *Atqui in caſu noſtro Sacerdos ſibi confingeret tale jus poſſe furari, igitur inane eſt docere, quod præmittitur; Quod ulterius deducitur ex damno, quod infertur ex ſubtractione eleemoſynæ: nam ut ait S. D. 2.2. q.32. a. 4. ad 2.* illa, qui dat eleemoſynam, intendit per charitatis effectum Spiritualem fructum promereri; *atqui magis accenditur charitas ex majori beneficio, igitur bene etiam ex ipſo juſtitiæ titulo docet S. D. 2.2.q.187. a. 4. in C. idipſum dicens,* quod unicuique licet vivere de eo, quod ſuum eſt, vel ſibi debitum; *& infrà*

infrà ibidem. Quadrupliciter poſſunt religioſi de eleemoſynis vivere quaſi ſibi debitis: Primo quidem ſi prædicent auctoritate Prælatorum: Secundo ſi ſint miniſtri Altaris; igitur qui ſubtrahit partem eleemoſynæ, tollit de eo, quod eſt debitum miniſtro Altaris: ſed prout expreſsè docet S. D. 2.2.q.78.a.2.ad 2.dicendum, quod recompenſatio alicujus beneficii dupliciter fieri poteſt, uno quidem modo ex debito juſtitiæ ad quod aliquis (nota) ex certo pacto obligare poteſt, & hoc debitum attenditur ſecundum quantitatem beneficii, quod quis accepit: licet autem beneficium *in infinitum excedat eleemoſynam, ut docet S. D. 2.2.q.32 a.4.ad 2. ille qui dat eleemoſynam non intendit emere aliquid ſpirituale per corporale, quia ſcit ſpiritualia in infinitum corporalibus praeminere*. ergo qui retinet ſibi partem eleemoſynæ tantò magis peccat, quanto violat pactum de re, cujus prætium ex ſui natura inæſtimabile exiſtit, & ſic per optime proſcribitur præmiſſa propoſitio.

X.

Non eſt contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificinm unum offerre, neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione juramento firmata danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.

OP. S. D. in 2. di. 42. q. 2. a. 2. quæſtiunc. 2. in C. injuſtitia eſt ex hoc, quod alicui detrahitur debitum, & in 4. di. 15. q. 2. a. 2. quæſtiunc. 2. a. 3. in C. *ſubdit*. Eleemoſyna, cui datur, conſtituit debitorem ad orandum, jejunandum, & ad alia bona, quæ poteſt faciendum, pro eo, qui dedit; *atqui miſſa eſt maximum inter bona, ergo non licet plura ſtipendia uno Sacrificio conpenſare, cum hoc etiam ſit contra fidelitatem, ac ſi juramento firmatam, circa quod S. D. 2.2.q. 89. a. 7.* in C. Reſpondeo dicendum, quod obligatio refertur ad aliquid, quod eſt faciendum, vel dimittendum. Unde non videtur reſpicere juramentum aſſertorium, quod eſt de præſenti, vel de præterito. Neque etiam juramentum de his, quæ ſunt per alias cauſas fienda, ſicut ſi quis juramento aſſereret, quod cras pluvia eſſet futura, ſed ſolùm in his, quæ ſunt facienda per illum, qui jurat: Sicut autem juramentum aſſertorium, quod eſt de præterito, vel de præſenti, debet habere veritatem, ita etiam, & juramentum de his, quæ ſunt facienda à nobis in futurum, & ideò utrumque juramentum habet, quandam obligationem diverſimodè ta-

tamen, quia in juramento, quod eſt de præterito, vel præſenti obligatio eſt non reſpectu rei, quæ jam fuit, vel eſt, ſed reſpectu ipſius actus jurandi, ut ſcilicet juret id, quod jam verum eſt, vel fuit. Sed in juramento, quod præſtatur de his, quæ ſunt facienda à nobis, obligatio cadit, è contra ſuper rem, quam aliquis juramento firmavit. Tenetur enim aliquis, ut faciat verum eſſe id, quod juravit, alioquin deeſt veritas juramento, & ſi autem, &c. *& tandem concludit.* Sic ergo dicendum eſt, quod quicunque jurat aliquid ſe facturum obligatur ad id faciendum ad hoc, quod veritas impleatur, *igitur & id reſpectivè debet attendi ex fidelitate.*

XI.

Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam non tenemur in ſequenti Confeſſione exprimere.

OP. S. D. in 4. di. 17. q. 3. a. 4. q. 2. in C. Reſpondeo dicendum, quod quia in medicina corporali oportet, quod medicus non ſolùm unum morbum contra quem medicinam debet dare, cognoſcit, ſed etiam univerſaliter totam habitudinem ipſius infirmi, eo quod unus morbus ex adjunctione alterius aggravatur, & medicina, quæ uni morbo competeret alteri nocumentum præſtaret, & ſimiliter eſt in peccatis, quia unum aggravat, ex adjunctione alterius, & illud, quod uni peccato eſſet conveniens medicina, alteri incentivum præſtaret, cum quandoque aliquis contrariis peccatis infectus ſit, ut Gregorius in Paſtorali docet, & ideò de neceſſitate confeſſionis eſt, quod homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habet, quod ſi non faciat non eſt confeſſio, ſed confeſſionis ſimulatio: *ergo ſatis conſtat quantum deficiat præmiſſa propoſitio, quam expreſſius deſtruit S. D. Op. 64. ubi hæc habet.* Confeſſio debet eſſe integra, ut omnia peccata, quæ habes in memoria, aut quæ oblitus fuerat confiteri, & modo recordaris integrè confitearis.

XII.

Mendicantes poſſunt obſolvere à Caſibus Epiſcopis reſervatis non obtenta ad id Epiſcoporum licentia.

OP. *S. D.* in 4. d. 19. q. 1. a. 3. quæſtiunc. 2. in C. Reſpondeo dicendum, quod poteſtas ordinis, quantum eſt de ſe, ſe extendit ad omnia peccata remittenda, ſed quia ad uſum hujus poteſtatis re-

Digitized by Google

requiritur juriſdictio, quæ à majoribus in inferiores deſcendit, ideò poteſt ſuperior aliqua ſibi reſervare, in quibus judicium inferiori committat. Sunt autem quinq; quibus caſus oportet, quod ſimplex Sacerdos ad ſuperiorem pœnitentem remittat Primus, &c. Quintus quandò eſt conſuetudo in aliquo Epiſcopatu, quod enormia crimina ad terrorem Epiſcopo reſervantur, quia conſuetudo dat, vel aufert in talibus poteſtatem; *ergo nil clarius pro deſtruenda præmiſſa propoſitione.*

XIII.

Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato.

OP. *S. D.* in 4. d. 17. q. 3. a. 1. quæſtiunc. 5. in c. Reſpondeo dicendum, quòd ſicut Papa non poteſt diſpenſare, ut aliquis ſine Baptiſmo ſalvetur, ita nec quod ſalvetur ſine confeſſione, ſecundum quòd obligat ex ipſa vi Sacramenti: ſed poteſt diſpenſare in confeſſione, ſecundum quòd obligat de præcepto Eccleſię, ut poſſit aliquis diutius confeſſionem differre, quam ab Eccleſia inſtitutum ſit: *Atqui illa reprobatio, diſpenſatio non eſt, ſed ad ſummum dilatio quædam; ergo patet de falſitate præmiſſæ propoſitionis.*

XIV.

Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

OP. S. D. in 4. d. 17. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 4. in c. Reſpondeo dicendum, quòd cum propoſitum confitendi ſit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propoſitum, quando ad contritionem tenetur, *& ſubdit*, & inde venit obligatio, qua Eccleſia omnes obligat ad ſemel in anno confitendum, quia inſtituit ut ſemel in anno ſcilicet in Paſcha omnes Sacram Communionem accipiant. *Atqui contritio obſtat confeſſioni voluntariè nullæ, ergo nullatenùs ſatisfit per eam Eccleſiæ præcepto.*

XV.

Pœnitens propria authoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.

OP. S. D. 3. p. q. 90. ar. 2. in c. In pęnitentia fit recompenſatio offenſæ ſecundam voluntatem peccantis, & ſecundum arbitrium

Dei, in quem peccatum, quia hìc non quæritur ſola integritas æqualitatis juſtitiæ (ſicut in juſtitia vindicativa) ſed magis reconciliatio amicitiæ, quod fit, dùm offendens recompenſat ſecundum voluntatem ejus, quem offendit; Sic igitur requiritur ex parte penitentis, primo quidem voluntas recompenſandi, quod fit per contritionem. Secundo, quod ſe ſubjiciat arbitrio Sacerdotis loco Dei, quod fit in Confeſſione. Tertiò quod recompenſet ſecundum arbitrium miniſtri Dei, quod fit in ſatisfactione, & ideò Contritio, Confeſſio, & Satisfactio ponuntur partes pœnitentiæ; *quomodò ergo propria authoritate poterit pænitens derogare judicio Dei per miniſtrum impleto?*

Sed poterit quis opponere verba S. D. in 3. par. q. 48. a. 2. ad 1. Dicendum, quòd caput, & membra ſunt quaſi una perſona myſtica: & ideò ſatisfactio Chriſti ad omnes fideles pertinet, ſicut ad ſua membra, inquantum etiam duo homines ſunt unum in charitate, unus pro alio ſatisfacere poteſt, ut infra patebit; non autem eſt ſimilis ratio de confeſſione, & contritione, quia ſatisfactio conſiſtit in actu exteriori, ad quem aſſumi poſſunt inſtrumenta, inter quæ computantur amici.

Verum hæc verba nullatenus ſuffragant proſcriptæ propoſitioni: ſed imò eidem officiunt; nam ait S. D. ly ad quem aſſumi poſſunt inſtrumenta: *atqui aſſumere inſtrumenta ad aliquid ſupernaturale non eſt, niſi ipſius Dei, vel habentis virtutem ab ipſo: igitur bene ſtabit, quod idem Sacerdos, qui penitentiæ ſatisfactionem injungit, etiam per amicum compleri poſſe diſponat: non autem ſic propria voluntate pænitentis: aſſumere enim indicat virtutem ſuperioris ad inferiorem, ut docet S. D. 3. p. q. 4. a. 6. in C.* Tertiò, quia per hoc etiam Dei potentia magis oſtendit: dùm de natura corrupta aſſumpſit id, quod in tantam virtutem, & dignitatem eſt promotum; i. humanam naturam à Dei potentia Verbo unitam, ab eoque aſſumptam: *pænitens autem in hoc generi alteri fideli æqualis admodum eſt, nec ei ſuperior; ait autem S. D. 3. p. q. 82. a. 1. in C.* quod quicumque aliquid agit in perſona alterius oportet hoc fieri per poteſtatem ab illo conceſſam; *Ut autem præmiſſa, veritate fulta ſint, S. D. in 4. di. 30. q. 1. a. 2. quæſtiunc. 3. in C. ubi per totum de his habita diligenti excuſſione, ſic concludit.* Dicitur in Vitis Patrum, quod propter charitatem unius, qui alterius fratris ſui charitate ductus, penitentiam fecit pro peccato, quod non commiſit, alteri peccatum, quod commiſerat, dimiſſum eſt. Nec exigitur etiam quantum ad ſolutionem debiti, quod ille, pro quo fit ſatisfactio, ſit impotens ad ſa-

Digitized by Google

ſatisfaciendum, quia etiamſi eſſet impotens, alio ſatisfaciente pro ipſo, ipſe à debito immunis eſſet: Sed hoc requiritur inquantum pęna Satisfactoria eſt, & in remedium: *unde (Nota) non eſt permittendum, ut aliquis pro alio pęnitentiam faciat, niſi defectus appareat in pęnitente, vel corporalis, per quem ſit impotens ad ſuſtinendum: vel Spiritualis, per quem non ſit promptus ad portandam pęnam: Ecce ergo quomodò id à ſola Sacerdotis permiſſione locum habeat; quod alterius exponit S. D. in. 4. di. 20. in expo. lit. ibi.* Non eſt imponenda in articulo mortis pęnitentia, ſed innoteſcenda: quia per hoc, quod imponitur aliqua pęnitentia alicui, obligatur ad illam faciendam; nullus autem debet ad aliquid obligari, quod non poteſt facere, ſed eſt innoteſcenda, ut procuret per amicos, & eleemoſynas expiari, & ut ejus complendæ propoſitum habeat, ſi tradat: tamen eſt confortandus ex Divina Miſericordia, ne in deſperationem cadat; *Et ulterius 3.contra Gent. C. 158. ait.* Quod verò per amicos facimus, per noſmetipſos facere videmur, quia amicitia ex duobus facit unum per affectum, & præcipuè dilectio charitatis: & ideò ſicut per ſeipſum, ita & per alium poteſt aliquis ſatisfacere Deo, præcipuè cum neceſſitas fuerit, nam & pęnam, quam amicus propter ipſum patitur: reputat aliquis, ac ſi ipſe pateretur: & ſic pęna ei non deeſt, dùm patienti amico compatitur, & tanto amplius, quanto ipſe eſt ei cauſa patiendi, & iterum affectio charitatis in eo, qui pro amico patitur, facit magis ſatisfactionem Deo acceptam, quam ſi pro ſe pateretur; hoc enim eſt promptæ charitatis: illud autem eſt neceſſitatis. Ex quo accipitur, quod unus pro alio ſatisfacere poteſt, dummodò uterque in charitate fuerit; hinc eſt, quod Apoſtolus dicit ad Gal. 6. alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. *Quæ omnia etiam à* Cajet. *referuntur* Verbo ſatisfactio. *Et etiam habetur* 26. quæſt. 7. *& ſic alius pro pœnitente poteſt quidem ſatisfacere, ſed ut ex præmiſſis conſtat* virtute clavium, *non autem propria voluntate: nam actus humani non habent vim ſanctificandi, niſi aſſumantur in Sacramento, unde ait S. D. 3. p. q. 90. art. 1. ad* 2. relinquitur, quod partes aſſignentur pęnitentiæ, inquantum eſt Sacramentum, ad quod actus humani comparantur, *ut materia; & ſic ſatisfactio à puro homine propria voluntate injuncta, omninò materia Sacramenti eſſe non poteſt: & jure meritò ab Eccleſia prohibita, & damnata.*

Digitized by Google

XVI.

Qui beneficium Curatum habent, poſſunt ſibi eligere in confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab ordinario.

O*P. S. D.* Quolib. 12. a. 15. in C. Reſpondeo dicendum, quòd aliter eſt in Sacramento pœnitentiæ, & aliter in quibuſdam aliis Sacramentis, nam in quibuſdam, &c. In pœnitentia autem non imprimitur character, nec effectus, niſi juſtificatio pœnitentis, quod non poteſt fieri, niſi per poteſtatem judicativam, non habens autem curam animarum non habet hanc poteſtatem: & hæc reprobant indignè aſſumendum: quantum verò ad indignè aſſumentem; S. D. in quolib. 12. ar. 13. in C. ait Archiepiſcopus, quia non habet immediatam juriſdictionem in omnes ſui Archiepiſcopatus, niſi ex appellatione, non poteſt alicui dare licentiam, vel authoritatem audiendi Confeſſiones, contra voluntatem Epiſcopi Diocęſani ſuffraganei. *Igitur multò minus, qui ſimplex beneficium curatum habet, talem ſibi poterit authoritatem arrogare, qualem propoſitio præmiſſa falſo concedit.*

XVII.

Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorum gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quandò alius modus defendendi non ſuppetit, ut ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè, & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.

OP. S. D. 2. 2. q. 64. a. 4. in C Reſpondeo dicendum, quòd non licet Clericis occidere duplici ratione, primo quidem, quia ſunt electi ad Altaris miniſterium, in quo repreſentatur paſſio Chriſti occiſi, qui cum percuteretur, non repercutiebat, ut dicitur in 1. Pet. 2. & ideò non competit, ut Clerici ſint percuſſores, aut occiſores. Debent enim miniſtri ſuum dominum imitari; ſecundum illud Eccl. 10. Secundum judicem populi, ſic, & miniſtri ejus. Alia ratio eſt, quia Clericis committitur miniſterium novę legis, in qua non determinatur pęna occiſionis, vel mutilationis corporalis, & ideò, ut ſint idonei miniſtri novi teſtamenti; debent à talibus abſtinere. Et in ſol. ad 3. dicitur, quod prælati Eccleſiarum accipiunt officia principum terræ, non ut ipſi judicium ſanguinis exerceant per ſeipſos, ſed quod co-

Digitized by Google

eorum authoritate per alios exerceatur. *Ecce igitur quantum ſe elonget à puncto veritatis hoc, quod eſt permittere Clerico ſanguinis effuſionem: ad oſtendendum autem imprudentiam præmiſſæ propoſitionis ex motivo, quod adducit S. D. 2. 2. qu. 53. a. 3. in C. ait.* Dicitur præcipitari ſecundum corporalem motum, quod à ſuperiori in ima pervenit, ſecundum impetum quendam proprii motus, vel alicuis impellentis, non ordinatè deſcendendo per gradus. Summum autem animæ eſt ipſa ratio, imum autem, eſt ipſa operatio per corpus exercita: gradus autem medii, per quos oportet ordinatè deſcendere, ſunt merita præteritorum, intelligentia præſentium, ſolertia in conſiderandis futuris eventibus, ratiocinatio conferens unum alteri, docilitas, per quam aliquis acquieſcit ſententiis majorum, per quos quidem gradus aliquis ordinatè deſcendit rectè conſiliando. Si quis autem feratur ad agendum per impetum voluntatis, vel paſſionis, pertranſitis hujuſmodi gradibus, erit præcipitatio: *Cum ergo Clericus, vel religioſus, depoſito Crucis jugo, quod promiſit Deo ad mortem uſque portare., impetu iraſcibilis agitatus, Petri gladium arripit, Domino increpante, qui gladio ferit, gladio perit, quale erit conſilium? Unde ſubjungit S. D. 2. 2. qu. 72. a. 3. in C.* Reſpondeo dicendum, quòd, ſicut patientia neceſſaria eſt in his, quæ contra nos fiunt, ita etiam in his, quæ contra nos dicuntur. *Unde patet de inſana propoſitione, quam damnavit Eccleſia, vel ut melius dicam, ejus damnationem exponit.*

XVIII.

Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam judicem, à quo iniqua certe imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare.

OP. S. D. 2.2. q. 64. ar. 7. in c. Illicitum eſt, quod homo intendat occidere hominem, ut ſeipſum defendat, niſi ei, qui habet publicam authoritatem, qui intendens hominem occidere, ad ſui defenſionem refert hoc ad publicum bonum, ut patet in milite pugnante contra hoſtes: & in miniſtro judicis pugnante contrà latronem, quamvis etiam, & iſti peccent, ſi privata libidine moveantur, *igitur patet de falſitate privatæ juſtitiæ, quam adſtruit præmiſſa propoſitio.*

Non

Digitized by Google

XIX.

Non peccat maritus occidens propriam authoritate uxorem in adulterio deprehenſam.

O P. S. D. in 4. d. 37. q. 2. a. 1. in c. Vir licite accuſat uxorem adulteram petendo mortem ejus in judicio ſæculari tantum, & zelo juſtitiæ; non autem ex vindicta, vel odio: ſed occidens eam ut perſona privata propria authoritate, peccat mortaliter, licèt hoc permittat lex civilis non puniendo, ſi reperiatur in actu adulterii, propter maximum incitamentum, quod habet vir in tali facto ad occiſionem uxoris, ſed Eccleſia non eſt in hoc aſtricta legibus humanis. *Atqui fidelis Eccleſiæ legibus inſiſtere debet, igitur clarè patet falſitas præmiſſæ propoſitionis.*

XX.

Reſtitutio à Pio V. impoſita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam judicis, eo quod ſit pœna.

O P. S. D. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 4. Si verò jam firmatum ſit quod alicui detur præbenda, & aliquis propter indebitam cauſam procuret, quod revocetur, idem eſt, ac ſi jam habitam ei auferret: & ideò tenetur ad reſtitutionem æqualis, tamen ſecundum ſuam facultatem. *Igitur, & è contra tenebitur præbendatus etiam ſine ſententia reſtituere etiam ante ſententiam declaratoriam, nam S. D. etiam addit regulam generalem*, p. 2. q. 105. ar. 2. ad 9. dicens. Ante ſententiam judicis ſufficit reſtituere ſimplum, ſed poſt eam, tenetur etiam ad pœnam pro culpa, *igitur nullatenùs ſuſtinendum venit, quod præmiſſa propoſitio exponit.*

XXI.

Habens Cappellaniam Collativam, aut proderit aliud beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio literarum vacet ſatisfit ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitet ;

O P. S. D. Quol. 6. art. 8. in c. Clericus beneficiatus exiſtens in Scholis, tenetur ad ordinarium officium mortuorum ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ ſuæ, non autem ad officium mortuorum extraordinarium: *Igitur multo magis ad quotidianum officium*

per

per ſe perſolvendum; *ſecundum*, *quod*, S. D. in 4. di. 15. q. 4. arti. 1. queſtiuncula 3. in c. ait. Clericus, ex hoc quod eſt Clericus, præcipuè in Sacris conſtitutus, tenetur ad officium horis Canonicis: ſed, ut beneficiatus, tenetur ad officium ſecundum morem illius Eccleſię, *Igitur ſtudium literarum non obeſt, quia beneficiatus teneatur ſatisfacere Divino officio, ut præmiſſa propoſitio intendebat; quia id ei incumbit ex eo, quod eſt in ſacris conſtitutus*.

XXII.

Non eſt contra juſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

OPponit S. D. 2.2. q. 100. ar. 1. in c. Reſp. dicendum quod ſimonia, eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum; actus enim aliquis eſt malus, ex genere, eo quod cadit ſuper materiam indebitam: emptionis autem, & venditionis eſt materia indebita res ſpiritualis triplici ratione. Primo, *&c.* Secundo, *&c.* Tertio, quia venditio repugnat ſpiritualium origini, quæ ex gratuita voluntate Dei proveniunt: Unde, & Dominus dicit Matth. 10. Gratis accepiſtis, gratis date; *Igitur hæc ſtudioſa voluntas taliter beneficium conferendi, juſtitiæ obſtat, & contra radicem inſtitutionis rei ſpiritualis pecuniam exigit, ob id patet de falſitate præmiſſæ propoſitionis*.

XXIII.

Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi, & contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult ſe ſubjicere præcepto.

OP. S. D. 2.2. q. 147. ar. 7. in c. Conveniens hora prandii tempore jejunii eſt hora nona, ſed hora ſexta, alio tempore, quia ſecundum communem curſum comedendi illa eſt hora, quia cibus non debet apponi, quouſque natura circa cibum precedentem occupata eſt. Occupatur autem natura in cibo aſſumpto dupliciter. Primo digerendo ipſum: & quia digeſtio fit per calorem naturalem; ideo illud tempus digeſtioni eſt congruum, in quo calor naturalis ad interiora revocatur, ſcilicet nox propter ſubtractionem radiorum ſolis, & propter ſomnum, in quo intenduntur virtutes naturales.

Digitized by Google

les. Secundo cibum jam decoctum deducendo per membra, quibus debet aſſimilari: & ad hoc requiritur calor nutrimentum deducens, uſque ad extremas partes corporis evocetur: Calor autem ſolis calorem naturalem ad exteriora revocat, & ideo quando completur ſolis aſcenſus, quod fit hora ſexta, quia tunc eſt circa medium, tunc ejus opus completum eſt, & ideò tunc eſt tempus communiter ſumendi cibum; Et quia jejunium Eccleſiæ debet eſſe pœnale, & ſatisfactorium, ideò ſupra hoc aliquid additur, non autem tantum, quod penitus humor cibi præaſſumpti exſiccetur, aut virtus naturalis penitus debilitetur. Unde partito reſiduo tempore, hora nona occurrit, in qua cibus ſecundum Eccleſiæ ſtatutum in diebus jejunii ſumendus eſt: *docens igitur* S. D. jejunium eſſe ſub præcepto, ut quid pœnale, & propterea tali tempore exercendum, in quo corpus pęnę ſubjaceat, nullatenus ommittendum fuerit ſine gravi culpa; Quod quidem, & clarius exprimit S. D. 2.2.q.147. a. 3. ad 1. dicendum quod jejunium ſecundum ſe conſideratum non nominat aliquid eligibile, ſed pœnale quoddam. Redditur autem eligibile, ſecundum quòd eſt utile ad finem aliquem. Et ideò abſolutè conſideratum, non eſt de neceſſitate præcepti, ſed eſt de neceſſitate præcepti unicuique tali remedio indigenti, & quia multitudo hominum, ut plurimum indiget tali remedio, tum quia in multis omnes offendimus, ut dicitur Jac. 3. Tum etiam quia caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ut dicitur Gal. 5. conveniens fuit, ut Eccleſia aliqua jejunia ſtatueret ab omnibus communiter obſervanda, non quaſi præcepto ſubjiciens id, quod ſimpliciter ad ſupererogationem pertinet, ſed quaſi in ſpeciali determinans, id quod eſt neceſſarium in communi: *Igitur etiam præciſo contemptu, peccat graviter, frangens jejunium, & ſic diſſolvitur doctrina præmiſſæ propoſitionis.*

XXIV.

Mollities, Sodomia, & beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimę, ideoque ſufficit dicere in Confeſſione ſe procuraſſe pollutionem.

OP. S. D. 2. 2. q. 154. ar. 11. in c. aſſignando ſpecies luxuriæ contra naturam, ait, quod hoc pluribus modis poteſt contingere. Uno quidem modo, ſi abſque omni concubitu cauſa delectationis venereæ pollutio procuretur, quod pertinet ad peccatum immunditiæ, quam quidam mollitiem vocant. Alio modo ſi fiat per concubitum ad rem non ejuſdem ſpeciei, quod vocatur beſtialitas. Tertiò ſi fiat per concubitum ad non debitum ſexum, puta maſculi ad maſculum, vel

Digitized by Google

vel fœminæ ad fœminam, ut Apoſtolus dicit Rom. 1. Quod dicitur ſodomiticum vitium. Quartò ſi non ſervetur naturalis modus concubandi, aut quantum ad inſtrumentum non debitum, aut quantum ad alios monſtruoſos, ac beſtiales concubandi modos. *Si igitur iſta ſunt diverſa ſpecies, non ſpecie athoma, ſed ſubalterna, erunt inter ſe diverſa*: nam ut ait S. D. 1. 2. q. 18. v. 3. ad 2. dicendum, quòd non omnia accidentia per accidens, ſe habent ad ſuam ſubſtantiam: ſed quædam ſunt per ſe accidentia, quæ in unaquaque arte conſiderantur, & per hunc modum conſiderantur circumſtantiæ actuum in doctrina morali, *atqui* ſimiliter artes male operandi peculiare ſtudium ponunt in præmiſſis, *igitur non eſt ſuſtentabilis doctrina præmiſſæ propoſitionis.*

XXV.

Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit confeſſionis præcepto, dicens: commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.

OPponit S. D. in 4. d. 17. q. 3. artic. 4. quæſtiunc. 4. in c. Ex propria ratione hujus actus, qui eſt confeſſio, habet, quod ſit manifeſtativa, quæ quidem manifeſtatio, per quatuor impediri poteſt. Primò per falſitatem, & quantum ad hoc dicitur fidelis, i. vera. Secundò per obſcuritatem, & contra hoc dicitur nuda, ut non involuatur obſcuritate verborum. Tertiò per multiplicationem verborum, & contra hoc dicitur, quod ſit ſimplex, ut non recitet in confeſſione, niſi quod ad quantitatem peccati attinet. Quarta, ut non ſubtrahatur aliquid de his, quę manifeſtanda ſunt, & propter hoc dicitur integra, *Ecce quomodò appareat deficiens præmiſſa propoſitio, quam ulterius evertit* S. D. in 4. d. 16. q. 3. art. 2. quæſtiunc. 5. ad 4. dicendum, quòd circumſtantiæ particulares peccati carnalis, quæ in aliam ſpeciem peccati mortalis trahunt, ſemper ſunt confitendæ, quia gratia, quæ in Sacramento pęnitentiæ datur, reſtaurat, ſi quæ inclinatio ad peccatum ex talium cogitatione proveniat, vel in confitente, vel in Sacerdote. *Atqui copula ſpecie differt ab aliquo alio crimine, quod cum ſoluta perpetrari poteſt, ut docet* S. D. 2. 2. q. 153. a. 1. ubi enumerat ſex ſpecies luxuriæ, quæ ſunt fornicatio ſimplex, adulterium, inceſtus, ſtuprum, raptus, & vitium contra naturam: *igitur ne etiam Sacramenti gratia inaniter ſe habeat ad pęnitentem, aliter dicendum eſt, ac ſentit præmiſſa propoſitio.*

Digitized by Google

XXVI.

Quandò litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt judex pecuniam accipere proferenda ſententia, in favorem unius præ alio.

OPponit S. D. 2. 2. q. 63. a. 4. in c. Reſpondeo dicendum, quòd judicium eſt actus juſtitiæ, prout judex ad æqualitatem juſtitiæ reducit ea, quæ inæqualitatem oppoſitam facere poſſunt: perſonarum autem acceptio inæqualitatem quandam habet, inquantum attribuitur alicui perſonæ præter propoſitionem ſuam, in qua conſiſtit æqualitas juſtitiæ: & ideò manifeſtum eſt, quod per perſonarum acceptionem judicium corrumpitur. *Quod, & amplius explicat*, Quolib. 4. a. 15. hoc videtur ad perſonarum acceptionem pertinere, quæ conſiſtit in hoc, quod aliquis accipit pro cauſa conditionem perſonæ, quæ non facit ad negotium, ſicut, ſi aliquis daret ſententiam pro aliquo, quia dives eſt: *Igitur multò magis, quis peccabit, ſi propter pecuniam id faciat*: nam S. D. 2. 2. q. 60. a. 2. in c. Reſpondeo dicendum, quòd judicium intantum eſt licitum, inquantum eſt actus juſtitiæ, & ſic requiritur, quod procedat ex inclinatione juſtitiæ. *Atqui animus in prædicto caſu, moveretur in judicio ab amore pecuniæ; igitur nulla eſt præmiſſa propoſitio.*

XXVII.

Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet eſſe rejectam à ſede Apoſtolica, tanquam improbabilem.

OPponit S. D. 1. 2. q. 111. a. 4. in c. Gratia gratis data illa ſub ſe continet, quibus homo indiget ad hoc, quod alterum inſtruat in rebus Divinis, quæ ſunt ſupra rationem. Ad hoc autem tria requiruntur. Primo quidem, quod homo ſit ſortitus plenitudinem cognitionis divinorum, ut ex hoc inſtruere alios poſſit. Secundo, ut poſſit confirmare, vel reprobare ea, quæ dicit, aliàs non eſſet efficax ejus doctrina. Tertio, ut ea, quæ concipit, poſſit convenienter auditoribus proferre. Quantum igitur ad primum, tria ſunt neceſſaria, ſicut etiam apparet in magiſterio humano; oportet enim, quod ille, qui debet alium inſtruere in aliqua ſcientia; primo quidem, ut principia illius ſcientiæ ſint ei certiſſima: & quantum ad hoc ponitur fides, quæ eſt certitudo de rebus inviſibilibus, quæ ſupponuntur, ut principia in Catholica fide. Secundo oportet, quod doctor

Digitized by Google

rectè ſe habeat circa principales concluſiones ſcientiæ, & ſic ponitur ſermo ſapientiæ, quę eſt cognitio divinorum. Tertio oportet, ut etiam abundet exemplis, & cognitionem effectuum, per quos interdum oportet manifeſtare cauſas, & quantum ad hoc ponitur ſermo ſcientiæ, quæ eſt cognitio rerum humanarum, quia inviſibilia Dei, per ea, quę facta ſunt intellecta conſpiciuntur. *Igitur cum liber ſit alicujus junioris, & non ſenioris, in ejus authore omnia hæc reperiri, quæ S. D. pręmiſit, difficile eſt, maximè cum ejus doctrina ad ſolam probabilitatis viam pervenerit: ſecus autem ad apicem certitudinis; quod quidem in magiſtro requiritur; ut docet amplius,* S. Doctor in diſp. quæſt. 11. de magiſtro. articul. 2. in c. dicens ſic. In primis igitur agentibus: Eſt perfecta ratio actionis, non autem in agentibus ſecundi modi, quia ſecundum hoc aliquid agit quod, actu eſt: unde, cum non ſit in actu effectus inducendi, niſi in parte, non erit perfectè agens. Doctrina autem importat perfectam actionem ſcientiæ in docente, vel magiſtro, unde opertet, quod ille, qui docet, vel magiſter eſt, habeat ſcientiam, quæ in altero cauſat explicite, & perfectè, ſicut in addicente per doctrinam, & Ulterius art. 4. in c. ait. In actu docendi invenimus duplicem materiam, in cujus ſignum etiam actus docendi duplici actui conjungitur, eſt ſiquidem una ejus materia ipſa res, quæ docetur, alia vero ille, cui ſcientia traditur. Ratione igitur primæ materiæ actus doctrinæ, ad vitam contemplativam pertinet, ſed ratione ſecundæ pertinet ad activam; *cum ergo doctrina junioris in ſola probabilitate conſiſtat, ad evidentiam contemplationis neutiquam pervenit, & ideo nullius erit vigoris, ut præmiſſa propoſitio præſumebat.*

XXVIII.

Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem à principe promulgatam.

OP. S. D. 1.2. q. 96. ar. 4. in c. Reſp. dicendum, quod leges poſitæ humanitus, vel ſunt juſtæ, vel injuſtæ. Si quidem juſtæ ſint, habent vim obligandi in foro conſcientiæ à lege æterna, à qua derivantur, ſecundum illud Prov. 8. Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt; fuit igitur præmiſſa propoſitio, quam ulterius evertit, 1.2. q. 91. ar. 3. in c. Ex principiis legis naturalis quaſi ex quibuſdam principiis communibus, & indemonſtrabilibus neceſſe eſt, quod ratio humana procedat ad aliqua magis particulariter diſponenda, & iſtę particulares rationes adinventæ ſecundum ratio-

Digitized by Google

nem humanam dicuntur leges humanæ obſervatis aliis conditionibus, quæ pertinent ad rationem legis, ut ſupra dictum eſt, Unde Tullius dicit in ſua Rethorica, quod initium juris eſt à natura profectum, deindè quædam in conſuetudinem ex utilitate rationis venerunt: poſtea res à natura profectos, & conſuetudine probatas legum metus, & religio ſanxit; *igitur cum ex ipſo Gentili hoc malum evincatur deſtruenda venit præmiſſa poſitio.*

Feria v. die 18. Martii 1666.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo D. N. ALEXANDRO Divina Providentia Papa VII. ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana adverſus hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter Deputatis.

SANCTISSIMUS D. N. poſt latum Decretum die 24. Septembris proximè elapſi, quo viginti octo Propoſitiones damnatæ fuerunt; examinatis ſedulò, & accuratè uſque ad hanc diem infraſcriptis aliis quadrageſimumquintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magiſtros, ac per Eminentiſſimos & Reverendiſſimos DD. Cardinales adverſus hęreticam pravitatem Generales Inquiſitores, eorum ſuffragia ſingillatim ſuper unaquaque ipſarum audivit.

Quibus maturè penſatis, idem Sanctiſſimus ſtatuit, ac decrevit, prædictas Propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimum tanquam ſcandaloſas, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet. Ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima

nota

Digitized by Google

nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum, ad praxim deducant.

Jo: Lupus S. Rom. & Univerſal. Inquiſition. Notar. &c.

Loco ✠ Sigilli.

Anno à Nativitate D. N. JESU Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto. Indictione quarta, die verò 23. menſis Martii, Pontificatus autem Sanctiſs. in Chriſto Patris D. N. D. ALEXANDRI Divina providentia Papa VII. anno undecimo ſupradictum decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Carolum Melanum ejuſdem Sanctiſs. D. N. Papæ, & Sanctiſs. Inquiſitionis Curſorem.

XXIX.

In die Jejunii, qui ſępius modicum quid commedit, & ſi notabilem quantitatem in fine commederit, non frangit jejunium.

OPponit S. D. 2. 2. q. 147. ar. 4. ad 4. Reſpondeo dicendum, quòd pauperes, qui poſſunt ſufficienter habere, quod eis ſufficiat ad unam commeſtionem, non excuſantur propter paupertatem à jejuniis Eccleſiæ, à quibus tamen excuſari videntur illi, qui fruſtratim eleemoſynas emendicant, qui non poſſunt ſimul habere, quod eis ad victum ſufficiat. *Igitur ſi quis vitio gulæ ad id inducatur, neutiquam jejunabit, & ſic proſternitur præmiſſa propoſitio.*

XXX.

Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio.

OPponit S. D. 2. 2. q. 147. art. 4. ad 3. dicendum, quòd circa peregrinos, & operarios diſtinguendum videtur, quia ſi peregrinatio, & operis labor commodè differri poſſit, aut diminui abſque detrimento corporalis ſalutis, & exterioris ſtatus, qui requiritur ad conſervationem corporalis, vel ſpiritualis vitæ, non ſunt propter hoc Eccleſiæ jejunia prætermittenda. Si autem immi-

neat

neat neceſſitas ſtatim peregrinandi, & magnas dictas faciendi, vel etiam multum laborandi, vel propter, &c. *& ſubdit;* videtur tamen in talibus recurrendum ad ſuperioris diſpenſationem, niſi forte, ubi eſt ita conſuetum, quia ex hoc, quod prælati diſſimulant, videntur annuere, hoc tamen intelligitur de his, qui labore itineris, adeò affliguntur, quod ſimul cum jejunio iterari non poſſunt. *Ecce ergo quantum deficiet præmiſsa propoſitio.*

XXXI.

Excuſantur abſolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agunt, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.

OP. S. D. in 4. d. 15. q. 3. art. 2. quæſtiunc. 4. ad 1. dicendum, quòd, ſi ſit talis peregrinatio, quę poſſit ſine incommodo differri, ſi ſimul cum ea jejunare non poſſit: Si autem peregrinatio commodè differri non poteſt, vel quia tempus jejunii hominem in via pręoccupat, vel quia dies feſtus alicui imminet, ad quem ex devotione homo pergere cupit, vel quia mora in pœnitentia periculum habet, vel ſpirituale, vel corporale, poteſt cum diſpenſatione ſui ſuperioris omnia prædicta penſantis peregrinari, & jejunium ſolvere: Hoc tamen intelligitur de his, qui labore itineris adeò affliguntur, quod ſimul cum jejunio itinerari non poſſunt: Nec obſtat, quod præceptum debet præponi conſilio, quia intentio præceptum hujuſmodi dantis non eſt alias pias, & magis neceſſarias cauſas excludere: ſecus autem eſt de præceptis legis naturæ, quę hoc prohibent, quòd ſecundum ſe, & ſemper malum eſt. *Ecce igitur quomodò omni ex capite ruat præmiſſa propoſitio.*

XXXII.

Non eſt evidens, quòd conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in quadrageſima obliget.

OP. S. D. 2. 2. q. 147. art. 8. in c. Reſpondeo dicendum, quòd, ſicut ſuprà dictum eſt, jejunium ab Eccleſia eſt inſtitutum ad reprimendas concupiſcentias carnis, quæ quidem ſunt delectabilium ſecundum tactum, quæ conſiſtunt in cibis, & venereis & ideò illos cibos Eccleſia jejunantibus interdixit, qui & in comedendo maximè habent delectationem, & iterum maximè hominem ad venerea provocant, hujuſmodi autem ſunt carnes animalium

lium in terra naſcentium, & reſpirantium, & quæ ex eis procedunt, ſicut lacticinia ex greſſilibus, & ova ex avibus quia enim hujuſmodi magis conformantur humano corpori, plus delectant, & magis conferunt ad humani corporis nutrimentum, & ſic ex eadem comeſtione plus ſuperfluit, ut vertatur in materiam ſeminis, cujus multiplicatio eſt maximum incitamentum luxuriæ, & ideò ab his cibis præcipuè jejunantibus Eccleſia ſtatuit, eſſe abſtinendum. *Igitur non eſt cur quærant, ex quo talis obligatio ſit inducta ab Eccleſia ipſis fidelibus, ut inconvenienter ajebat præmiſſa propoſitio.*

XXXIII.

Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt, per quaſcumque eleemoſynas, quas antea beneficiarius de fructibus ſui beneficii fecerit.

OP. S. D. 2. 2. q. 62. art. 8. ad 3. dicendum, quod quia cujuſcumque circumſtantiæ omiſſio contrariatur virtuti, pro determinato eſt habendum, quod oportet illam circumſtantiam obſervare, & quia per dilationem reſtitutionis committitur peccatum injuſtitiæ detentionis, quod juſtitiæ opponitur, ideo neceſſe eſt, tempus eſſe determinatum, ut ſtatim reſtitutio fiat. *Igitur tempus eſt una circumſtantia neceſſario requiſita ad reſtitutionem: atqui ante injuſtam detentionem, quod datum eſt, non habet relationem ad debitum, quia nondum contractum, ergo tunc habet titulum ſimplicis eleemoſynæ: ait enim,* S. D. 2. 2. q. 62. ar. 1. ad. 1. dicendum, quòd illud, quod alteri non debetur, non eſt propriè loquendo, ejus; *ſuppoſito autem debito, tunc inſurgit titulus reſtitutionis*, unde S. D. eodem loco ad 3. dicendum, quòd recompenſatio, quam facit diſtribuens ei, cui debet minus, quam debuit, fit per comparationem rei ad rem, ut ſi quanto minus habuit, quam debuit, tanto plus ei detur; *& ſic in re præſenti, attentis utilitatibus beneficii, debet creſcere reſtitutio, vel minui.*

XXXIV.

In die Palmarum recitans officium Paſchale, ſatisfecit præcepto.

OPponit S. D. Quol. 1. q. 7. ar. 13. c. Reſpondeo dicendum, quòd ſuppoſito, quod aliquis licitè ſit præbendatus in duabus Eccleſiis, ſcilicet ex diſpenſatione, conſiderandum eſt, quòd ille, qui in aliqua Eccleſia prebendam accepit, duobus obligatur, ſcilicet Deo, ut ei debitas laudes exolvat pro ejus beneficiis, & Eccleſiæ, de qua acce-

Digitized by Google

accepit ſumptus: ea vero, &c. & ſubdit; ſed debitum, quod debet Deo, per ſe ipſum debet exolvere: non refert quantum autem ad Deum, quibus Pſalmis, & hymnis Deum laudet, ut puta, vel dicat in Veſperis Dixit Dominus, vel Laudate Pueri Dominum, niſi quantum ad hoc, quod homo debet ſequi majorum traditiones, & quia laudes Deo debet, quaſi unus homo, ſufficit quod ſemel officium dicat ſecundum conſuetudinem alicujus Eccleſiarum, quarum eſt clericus, *& ſubdit*. Quod ſi in utraque Eccleſia fuerit ſimplex Canonicus, debet dicere officium dignioris Eccleſiæ, quamvis fortè in minori Eccleſia habeat opulentiorem præbendam, quia temporalia nullius momenti ſunt ſpiritualibus comparata. Si vero ambæ Eccleſiæ ſunt æqua lis dignitatis, poteſt eligere quodcumque officium magis voluerit, ſi fuerit ab utraque Eccleſia abſens, ſi autem fuerit in aliqua earum præſens, debet ſe conformare illis, cum quibus converſatur: *Atqui in die Palmarum omnes Eccleſiæ Romanæ conveniunt in officio, igitur nulli permiſſum eſt aliter ſine gravi culpa illud recitare.*

XXXV.

Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti, & craſtino.

OP. S. D. Op. 65. De Horis Canonicis c. 1. ait. Divina quidem officia in ſeptem horas Canonicas diſtinguuntur, ſcilicet Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperas, & Completorium; Has ſeptem horas debet Sacerdos quolibet die Domino reddere horis competentibus, ut dicitur diſt. Presbiter mane, & extra de celebr. Miſs. Presb. niſi eſſet infirmus, in quo caſu, &c. *Igitur ex hac authoritate Canonicis inſtitutionibus confirmata diſſipatur præmiſſa nebula.*

XXXVI.

Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum.

OP. S. D. 1.2. q. 96. a. 5. ad 3. Eſt princeps ſupra legem, inquantum ſi expediens fuerit, poteſt legem mutare, & in ea diſpenſare, pro loco, & tempore, *ac leges plus tenent quam privilegia, nam hæc dicuntur quaſi præter legem, ut dicit S. D. & ſubdit* S. D. 2.2. q. 67. ar. 1. in c. & ideo manifeſtum eſt, quod nullus poteſt iudicare aliquem, niſi aliquo modo ſubditus ejus ſit, vel per commiſſionem,

vel

Digitized by Google

vel per poteſtatem ordinariam; *Atqui plura erant privilegia de abſolvendis populis per commiſſionem, igitur ea ablata, etiam facultas privilegiorum ceſſat.*

XXXVII.

Indulgentiæ conceſsæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie ſunt revalidatæ.

O P. S. D. in 4. di. 20. a. 4. quæſtiunc. 1. in C. Reſpondeo dicendum, quòd indulgentiæ effectum habent ſecundùm quòd opera ſatisfactoria unius alteri computantur, non ſolùm ex vi charitatis, ſed ex intentione operantis aliquo modo directa ad ipſum: ſed intentio alterius poteſt ad alterum dirigi tripliciter, aut in ſpeciali, aut in generali, aut in ſingulari: In ſingulari quidem ſicut cum quis pro alio ſatisfacit determinatè: & ſic quilibet poteſt alteri ſua opera communicare: In ſpeciali autem ſicut cum quis orat pro congregatione ſua, & familiaribus, & benefactoribus, & adhuc ordinat etiam ſua opera ſatisfactoria: & ſic ille, qui congregationi præeſt, poteſt opera illa alii communicare applicando intentionem illorum, qui ſunt de congregatione ſua ad hunc determinatè: ſed in Generali, ſicut cum quis opera ſua ordinat ad bonum Eccleſiæ in generali, & ſic ille, qui præeſt Eccleſiæ, generaliter poteſt opera illa communicare applicando intentionem ſuam ad hunc, vel ad illum: Et quia homo eſt pars congregationis, & congregatio eſt pars Eccleſiæ, ideò in intentione privati boni includitur intentio boni congregationis, & boni totius Eccleſiæ, & ideò ille, qui præeſt Eccleſiæ, poteſt communicare ea, quæ ſunt congregationis, & hujus hominis, & ille, qui præeſt congregationi, ea, quæ ſunt hujus hominis, ſed non convertitur: ſed neque prima communicatio, neq; ſecunda indulgentia dicitur: ſed ſolum tertia, *& infrà*. Et ideò ſolus ille, qui præficitur Eccleſiæ, poteſt indulgentiam elargire, *& infrà*: Eccleſia aſſimilatur congregationi politicæ, quia ipſe populus Eccleſia dicitur: ſed conventus diverſi, vel Parochiæ in una Diœceſi ſimilantur congregationi in diverſis officiis, & ideò ſolus Epiſcopus propriæ Prælatus Eccleſiæ dicitur, & ideò ipſe ſolus quaſi ſponſus annulum Eccleſiæ recipit, & ideò ſolus ipſe habet plenam poteſtatem, &c. *Ecce igitur radix ſtabiliendi indulgentias: & ſuprema ſummi Epiſcopi authoritas, quæ ſi eſt ad conferendum, etiam à regularibus removendum privilegia indulgentiarum, quæ cum ipſis indulgentiis quantum ad hoc, quod concedantur, vel removeantur*

ab ipſo ſupremo conditore pari paſſu ſe habent, ut ſic nullius roboris ſit premiſſa ſententia.

XXXVIII.

Mandatum Tridentini factum Sacerdoti Sacrificanti ex neceſſitate, cum peccato mortali confitendi quamprimum, eſt conſilium, non præceptum.

OPponit S. D. in 4. d. 17. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 4. in corp. Ad confeſſionem actualiter faciendam obligatur aliquis dupliciter. Uno modo per accidens, ſcilicet, quando ad aliquid tenetur, quod non poteſt ſine peccato facere, niſi confeſſus: tunc enim confiteri tenetur, ſicut ſi debet Euchariſtiam percipere, ad quam nullus poſt peccatum mortale, niſi confeſſus accedere debet, copia Sacerdotis oblata, & neceſſitate non urgente: *Igitur non eſt conſilium illud Tridentini, ſed præceptum, nam de natura Sacrificii eſt, quod non niſi à Sacerdote confeſſo perficiatur.*

XXXIX.

Illa particula, quamprimum, intelligitur; cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

OP. S. D. in 4. d. 17. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 3. in c. Reſpondeo dicendum, quod ad confeſſionem dupliciter obligamur. Uno modo ex jure Divino, ex hoc ipſo, quod eſt medicina, & ſecundum hoc, non omnes tenentur ad confeſſionem, ſed illi tantum, qui peccatum mortale incurrunt poſt baptiſmum. Alio modo, ex præcepto juris poſitivi, & ſic tenentur omnes ex iſta inſtitutione Eccleſiæ edita in Conc. Gener. ſub In. III. Tum ut quilibet ſe peccatorem recognoſceret, quia omnes peccaverunt, & egent gratia Dei. Tum ut, cum majori reverentia ad Euchariſtiam accedat. Tum ut Eccleſiarum rectoribus ſui ſubditi innoteſcant, ne lupus inter gregem lateat. *Quod quidem contingeret ſuſtinendo premiſſam propoſitionem.*

Eſt

XL.

Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.

OPponit S. D. 2. 2. q. 154. art. 4. in c. Reſpondeo dicendum, quod aliquid dicitur eſſe peccatum mortale dupliciter. Uno modo ſecundum ſpeciem ſuam, & hoc modo oſculum, amplexus, vel tactus ſecundum ſuam rationem, non nominat peccatum mortale, poſſunt enim hæc abſque libidine fieri, vel propter conſuetudinem patriæ, vel propter aliquam neceſſitatem, aut rationabilem cauſam. Alio modo dicitur aliquod eſſe peccatum mortale ex ſua cauſa, ſicut ille, qui dat Eleemoſynam, ut aliquem inducat ad hæreſim, mortaliter peccat propter intentionem corruptam: dictum eſt autem ſuprà, quod conſenſus in delectationem peccati mortalis eſt peccatum mortale, & non ſolum conſenſus in actum, & ideò cum fornicatio ſit peccatum mortale, & multo magis aliæ luxuriæ ſpecies, conſequens eſt, quod conſenſus in delectationem talis peccati ſit peccatum mortale, & non ſolum conſenſus in actum, & ideò, cum oſcula, & amplexus hujuſmodi propter delectationem hujuſmodi fiant, conſequens eſt, quod ſint peccata mortalia, & ſic ſolum dicuntur libidinoſa; unde hujuſmodi, ſecundum quòd libidinoſa ſunt, ſunt peccata mortalia. *Igitur non eſt ambigendum de hac veritate, quæ contra præmiſſam doctrinam apertè pugnat.*

XLI.

Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgo, regalo dùm deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tędio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficilè inveniretur.

OP. S. D. in 2. di. 33. q. 1. ar. 3. q. 3. Reſpondeo dicendum, quòd habere concubinam non matrimonio junctam ſit contrà legem naturæ, ut dictum eſt, nullo tempore ſecundum ſe licitum fuit, nec etiam ex diſpenſatione; ſicut enim ex dictis patet concubitus, cum ea, quæ non eſt matrimonio juncta, non eſt conveniens actus ad bonum prolis, quod eſt principalis finis matrimonii, & ideò eſt contra pri-

Digitized by Google

ma præcepta legis naturæ, quæ diſpenſationem non recipiunt; unde ubicumque legitur in veteri teſtamento aliquos concubinas habuiſſe, quos neceſſe ſit à peccato mortali excuſari, oportet eas eſſe matrimonio junctas, & tamen concubinas dici, quia aliquid habebant de ratione uxoris, & aliquid de ratione concubinę. *Si ergo nullatenus diſpenſari poteſt contra naturæ jus, ut in caſu noſtro diſerte expreſſum eſt, multo minus ex leviſſimo motivo alicujus temporalis utilitatis, id fuerit permittendum. Neque valet dicere, quod concubina ſolum denominative ſit talis in caſu premiſſo, quia præter quamquod ſaltim mentaliter poteſt eſſe cauſa proxima peccati, etiam ſcandali motivum de medio tollendum venit; unde S. Doct. 2. 2. quæſt. 43. artic. 4. in corp. loquens de ſcandalo activo ait*, quandoque vero eſt peccatum mortale, ſive, quia committit actum peccati mortalis: ſive quia contemnit ſalutem proximi, ut ſi pro ea conſervanda non prætermittat aliquis facere, quod ſibi libuerit: *Igitur ſi homo non dimittat concubinam, eo quòd ſibi complaceat in ejus obſequio, conſequenter contemnit ſalutem proximi: & propterea ex nullo capite immunis eſſe poteſt à crimine gravi.*

XLII.

Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non petendam ſortem, uſque ad certum tempus.

Opponit S. D. quolib. 13. de malo art. 4. ad 4. Reſpondeo dicendum, quòd ex pecunia mutuata poteſt ille, qui mutuat incurrere damnum rei jam habitæ dupliciter. Uno modo, ex quo non redditur ſibi pecunia, ſtatuto termino, & in tali caſu, ille qui mutuum accipit, tenetur ad intereſſe. Alio modo infra tempus deputatum, & tunc non tenetur ad intereſſe ille, qui mutuum accipit; debet enim ille, qui pecuniam mutuavit, ſibi caviſſe, ne detrimentum incurreret: nec ille, qui mutuò accepit, debet damnum incurrere de ſtultitia mutuantis: *Ex quibus multò magis deducitur non licere aliquid ultrà ſortem exigere, ceſsante motivo damni emergentis, & ex ſolo titulo non exigendi ſortem, niſi uſque ad certum tempus, nam, ut ulteriùs docet S. Doctor, 2. 2. quæſtioni 78. ar. 1. ad 3.* Uſurario acquiſitio pecuniarum eſt maximè propter naturam, quia in fœnore nummus nummum non parit, *& ſic nullatenùs ſubſiſtit præmiſſa propoſitio.*

Annuum

Digitized by Google

XLIII.

Annuum legatum pro anima relictum; non durat plus quam per decem annos.

O P. S. D. 2. 2. q. 62. ar. 5. ad 5. dicendum, quòd Prælatus poteſt rem Eccleſiæ ſurripere tripliciter. Uno modo ſi rem Eccleſiæ non ſibi deputatam, ſed alteri, ſibi uſurpet: puta ſi Epiſcopus uſurpat ſibi rem capituli, & tunc planum eſt, quòd debet reſtituere ponendo in manus eorum, ad quos de jure pertinet. Alio modo, ſi rem Eccleſiæ ſuæ cuſtodiæ deputatam in alium dominium transferat, puta conſanguinei, vel amici, & tunc debet reſtituere Eccleſiæ, & ſub ſua cura habere, ut ad ſucceſſorem perveniat. Tertio modo poteſt Prælatus ſurripere rem Eccleſiæ ſolo animo, dùm ſcilicet incępit habere animum poſſidendi eam, ut ſuam, & tunc debet reſtituerę talem animum deponendo. *Atqui plerumque aniverſaria perpetua, perpetuo ſtipendio Capitulis comittuntur, & aliàs ſi Epiſcopus de facto tales redditus alienaret, transferret dominium, vel ad ſe, vel ad conſangineos, cum injuria Capituli, igitur neutiquam ſubſiſtit præmiſſa propoſitio.*

XLIV.

Quoad forum conſcientiæ reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.

O P. S. D. 2. 2. q. 31. ar. 2. ad 3. dicendum, quod excommunicatis, & reipublicæ hoſtibus ſunt beneficia ſubtrahenda, inquantum per hoc arcentur à culpa. Si tamen immineret neceſſitas, ne natura deficeret, eſſet eis ſubveniendum, debito tamen modo, puta ne fame, aut ſiti morerentur, aut aliquod hujuſmodi diſpendium, niſi ſecundum ordinem juſtitiæ paterentur. *Atqui etiam ceſſante contumacia actuali, non ceſſaret culpa, ac per conſequens non ceſſaret habitualis contumacia, ideo nullatenus ſubſiſtit præmiſſa propoſitio.*

Libri

Digitized by Google

XLV.

Libri prohibiti, donec expurgentur, poſſunt retineri; uſque dum adhibita diligentia corrigantur.

OP. S. D. 1. Tim. lect. 1. ad ea verba. Attendentes ſpiritus erroris, & doctrinis dæmoniorum ait, ſcilicet Dęmonibus, quorum eſt officium in errorem mittere Jo. 8. mendax eſt, & pater ejus. 3. Reg. Vult egrediar, & ero Spiritus mendax, &c. & dicit Spiritibus, quia dęmon major multos habet miniſtros, ſed quomodo attendent eis, numquid eos videbunt? Non, ſed loquetur in eis, & ideò addit ſecundam cauſam, ſcilicet falſam doctrinam; & ſecundum gloſam dicit hic falſos doctores dæmones non immerito, & infra paulo poſt. Ex parte decipientium eſt duplex cauſa. Una eorum falſitas; alia perverſitas conſcientiæ eorum, quantum ad primum dicit dæmoniorum, i. hominum à Dæmone poſſeſſorum: & horum dico loquentium mendacium. Hier. 23. uſquequo, *&c.* & nota, quod per mendacium ſimplex abſque pallio apparentiæ non poteſt aliquis decipere quemquam, & ita hi neminem poſſunt fallere, niſi prætenderent aliquod pallium, vel bonæ intentionis, vel ſimulationis, vel falſæ authoritatis 1. Corinth. 3. Nemo vos ſeducat, &c. *Ecce ergo quam ſit periculoſum apud ſe tenere, & legere hujuſcemodi libros, præcipue apud ſemidoctos & ſimplices, de his enim ſpecialiter ait S. D. 2.2. q. 10. ar. 9. in c.* Si autem ſint ſimplices, & infirmi in fide, de quorum ſubverſione probabiliter timeri poſſit, prohibendi ſunt ab infidelium communione, & præcipue, ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel abſque neceſſitate eis communicent; *Quod ſane intelligendum venit pariformiter de doctrina erroribus contexta.*

Feria

Feria v. die 2. Martii 1679.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Vaticano coram Sanctiſſ. D. N. D. INNOCENTIO Divina Providentia Papa XI. ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

SAnctiſſimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus ovium ſibi à Deo creditarum ſaluti ſedulò incumbens, & ſalubre opus in ſegregandis noxiis doctrinarum paſcuis ab innoxiis à fel. record. Alexandro VII. Prædeceſſore ſuo inchoatum proſequi volens, plurimas propoſitiones partim ex diverſis, vel libris, vel theſibus, ſeù ſcriptis excerptas, & partim noviter adinventas Theologorum plurium examini, & deindè Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſubjecit. Quibus propoſitionibus ſedulò, & accurratè ſæpius diſcuſſis eorumdem Eminentiſſimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem ſuam auditis: Idem S. D. N. re poſteà maturè conſiderata, ſtatuit, & decrevit pro nunc ſequentes propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ſicut jacent, ut minimùm tanquàm ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas ſua per hoc Decretum alias propoſitiones in ipſo non expreſsas, & Sanctitati ſuæ quomodolibet, & ex quacunque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenùs approbare.

Quicumque autem cujuſvis conditionis, ſtatus, & dignitatis illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel diviſim defenderit, vel ediderit, vel de eis diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem latæ ſententiæ, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima

nota

Digitized by Google

nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Tandem, ut ab injurioſis contentionibus Doctores, ſeu Scholaſtici, aut alii quicumque impoſterum ſe abſtineant, & ut paci, & charitati conſulatur, idem Sanctiſſimus in virtute ſanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tàm in libris imprimendis, ac manuſcriptis, quàm in Theſibus, Diſputationibus, ac Prædicationibus caveant ab omni cenſura, & nota, necnon à quibuſcumque conviciis contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc indè controvertuntur, donec à S. Sede recognitæ ſuper iiſdem propoſitionibus judicium proferatur.

Franciſcus Riccardus S. Rom. & Un. Inq. Not.

Loco ✠ Sigilli.

Anno à Nativitate D. N. JESU Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono. Indictione ſecunda, die verò 4. Menſis Martii, Pontificatus autem Sanctiſs. in Chriſto Patris D. N. D. INNOCENTII Divina providentia Papæ XI. anno Tertio, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis urbis per me Franciſcum Perinum ejuſdem Sanctiſſimi D. N. & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem.

I.

Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi; Hinc ſententia probabili, tantum utendum non eſt in collatione baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.

OP. S. D. In Quol. 8. ar. 13. in c. Reſpondeo dicendum, quòd duobus modis aliquis ad peccandum obligatur. Uno modo faciendo contra legem, ut cum aliquis fornicatur. Alio modo faciendo contra conſcientiam, etiamſi non ſit contra legem, ut ſi conſcientia dictat alicui, quod levare feſtucam de terra ſit peccatum mortale. Ex conſcientia autem obligatur aliquis ad peccatum, ſive habeat certam

tam

Digitized by Google

tam fidem de contrario ejus, quod agit, ſive etiam (Nota) habeat opinionem, cum aliqua dubitatione: illud autem, quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc, quod eſt ſecundum conſcientiam, & ſimiliter, quod eſt contra conſcientiam eſt malum, quamvis non ſit contra legem; quod autem, nec contra conſcientiam, nec contra legem eſt, non poteſt eſſe peccatum. Dicendum eſt ergo, quod quandò duæ ſunt opiniones contrariæ de eodem, oportet eſſe alteram veram, & alteram falſam; *Igitur ſi tutior eſt vera, alias tutior non eſset, probabilis vera non erit, & ſic etiam præciſa lege Eccleſiæ, probabilis opinio eligenda non eſt, dùm tutior ſit relinquenda; Neque ſuſtinenda venit præmiſsa propoſitio in eo, quod ſecernit Sacramentum Baptiſmi, & ordinis, ſed etiam relativè ad alia, Tutior pars eſt eligenda, cum de valore Sacramentorum agitur, præterquam, quod de omnibus Sacramentis extat lex Eccleſiæ.*

Unde S. D. docet p. 1. q. 30. a. in c. Reſpondeo dicendum, quòd abſque periculo hæreſis aliquis falſum poteſt opinari, antequam conſideretur, vel determinatum ſit, quod ex hoc ſequitur aliquid contrarium fidei, & maximè, ſi non pertinaciter adhæreat: ſed poſtquam manifeſtum eſt, & præcipuè ſi ſit per Eccleſiam determinatum, quod ex hoc ſequitur aliquid contrarium fidei, in hoc errare non eſt abſque hæreſi: & propter hoc multa nunc reputantur hæretica, quę prius non reputabantur, propter hoc, quod nunc eſt: magis manifeſtum quid ex eis ſequatur: *Ex quibus clarè habetur in quantis deficiat præmiſsa propoſitio.*

II.

Probabiliter exiſtimo Judicem poſse judicare juxta opinionem, etiam minus probabilem.

OPponit S. D. 2. 2. q. 60. a. 2. in c. Reſpondeo dicendum, quòd judicium intantum eſt licitum, inquantum eſt juſtitiæ actus ad hoc autem, quod judicium ſit actus juſtitiæ tria requiruntur. Primò quidem, ut procedat ex inclinatione juſtitiæ. Secundò, quod procedat ex authoritate præſidentis. Tertiò, ut proferatur ſecundum rectam rationem prudentiæ: quodcumque autem bonum defuerit judicium, erit vitioſum, & illicitum: Unum quidem modo quandò eſt contra rectitudinem juſtitiæ, & ſic dicitur judicium perverſum, vel injuſtum: alio modo, quandò homo judicat in his, in quibus non habet authoritatem: & ſic dicitur judicium uſurpatum. Tertio modo, quandò deeſt certitudo rationis, puta, cum aliquis de his judicat, quæ ſunt dubia, vel occulta propter aliquas leves conjecturas: & ſic dicitur

Digitized by Google

judicium ſuſpicioſum, vel temerarium; *Atqui opinio eſt, cum hæſitatione alterius partis, & maximè ſi ſit minus probabilis, igitur defectuoſum erit judicium, & imprudens: ait enim S. D. 2. 2. q. 43. art. 5. in argumento:* Sed contra, quod ad prudentiam pertinet præbere majus bonum, minori bono: *hic autem præfertur, id quod habet rationem mali, nam malum, ex quocumque defectu, ipſi bono, nempe propoſitioni magis probabili, & ſic ruit præmiſsa ſententia.*

III.

Generatim, dum probabilitate, ſive intrinſeca, ſive extrinſeca quamtumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.

OPponit S. D. 2. 2. q. 1. art. 4. in c. Alio modo aſſentit intellectus alicui, non quia ſufficienter moveatur ab objecto proprio, ſed per quandam electionem voluntatis, declinans in unam partem magiſque, quam in aliam: & ſiquidem, hæc ſit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio: ſi autem, cum certitudine, abſque tali formidine, erit fides; *Quomodò ergo poterimus confiſi aliquid agere, à tali formidine præventi, & quomodò prudenter, ſi deteriorem partem eligimus? Unde S. D. qu. 16. de malo art. 6. in c. ait:* Reſpondeo dicendum, quòd falſa opinio, eſt quædam defectiva operatio intellectus, ſicut partus monſtruoſus eſt quædam defectiva operatio naturæ, ut Phil. dicit in 6. Ethic. quod malum intellectus eſt falſum, defectiva autem operatio ſemper procedit ex defectu alicujus principii cognoſcendi, ſicut ex aliquæ defectu ſeminis procedit monſtruoſitas partus, ut dicitur in 2. Phyſ. Unde neceſſe eſt, quod omnis falſa æſtimatio procedat ex defectu alicujus principii cognoſcendi, ſicut in nobis falſa opinio accidit plerumque ex indebita ratiocinatione; Atqui prudentia, cum hæſitatione non cohæret, igitur ex præmiſſo defectu id contingit. *Si ergo prout ait S. D. Quol. 8. art. 13. ille, qui manente dubitatione plures præbendas habet, periculo ſe committit, & ſic proculdubio peccat, multò magis id erit aſſeverandum de eo, qui in ſumma dubitatione verſatur attenta tenui probabilitate, & ſic omninò rejicienda venit præmiſſa propoſitio.*

Digitized by Google

IV.

Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.

OPponit S. D. 2.2. q. 10. a. 3. ad 2. dicendum, quòd infidelitas habet ignorantiam adjunctam, & habet diſſenſum ad ea, quę ſunt fidei, & ex hac parte habet rationem peccati graviſſimi, ex parte autem ignorantiæ habet aliquam rationem excuſationis, & maximè quando aliquis ex malitia non peccat, ſicut fuit in Apoſtolo. *Atqui tenens opinionem minus probabilem, diſſenſum voluntarium habet à fide; igitur facit contra rectitudinem conſcientiæ, de qua S. Doctor in diſp. quæſt. 17. art. 1. in c. ait.* Secundum quod applicatur ſcientia ad actum, ut dirigens in ipſum ſecundum hoc dicitur conſcientia inſtigare, vel inducere, vel ligare. Secundum vero, quod applicatur ſcientia ad actum per modum examinationis, eorum quæ jam acta ſunt, ſic dicitur conſcientia accuſare, vel remordere, quando id quod factum eſt invenitur diſcordare à ſcientia, ad quam examinatur. *Atqui ſic contingit in eo, qui ſe committit opinioni minus probabili, igitur per optimè dixit S. D. in eodem loco ar. 2. ad 4.* dicendum, quòd conſcientia dicitur de intellectus ſecundum illud, quod habet à ſynderesi, & ſecundum hoc nunquam errat, ſed aliunde, *& propterea, ſe applicans opinioni minus probabili, ſine intellectu procedit, ac per conſequens ſine conſcientia, per quæ reicitur præmiſſa propoſitio.*

V.

An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

OPponit S. D. 2. 2. q. 26. art. 3. in c. Apparet etiam hoc in politicis virtutibus, ſecundum quas cives pro bono communi, & diſpendia propriarum rerum: & perſonarum interdùm ſuſtinent. Unde multò magis hoc verificatur in amicitia charitatis, quæ fundatur ſupra communicatione bonorum gratiæ: & ideò ex charitate magis debet homo diligere Deum, qui eſt bonum commune omnium, quam ſeipſum, quia beatitudo eſt in Deo, ſicut in communi, & formali principio omnium, qui beatitudinem participare poſſunt. *Ex quibus habes debere hominem magis diligere Deum, quem ſeipſum, ſed homo ſemper ſe diligit, ergo pluſquam ſemel Deum*

diligere debet : & propterea, ut id amplius evincat S. D. 2. 2. q. 24. art. 12. in c. quod charitas conſiſtit in hoc , quod Deus diligatur ſuper omnia, & quod homo totaliter ſe illi ſubjiciat , omnia ſua referendo in ipſum, eſt ergo de ratione charitatis , ut ſic diligat Deum, quod in omnibus velit ei ſe ſubjicere : quidquid enim contrariatur præceptis ejus, manifeſtè contrariatur charitati : idipſum autem explicat ibidem , q. 43. a. 5. in c. præcipitur ergo nobis , ut tota noſtra intentio feratur in Deum , quod eſt ex toto corde : & ibi a. 6. c. Intendit Deus per hoc præceptum , ut homo ſibi totaliter uniatur, quod fiet in Patria , & tamen in via tanto unus alio perfectius implet, quanto magis accedit per quandam ſimilitudinem ad patriæ perfectionem, ergo ſi Deus vult diligi, cum adimpletione omnium mandatorum , & ex tota mente , & per modum conjunctionis cum beatitudine, impoſſibile eſt, quod præceptum ad ſolum actum in vita reſtringatur , & ſic bene præmiſſa propoſitio proſcripta venit .

VI.

Probabile eſt , nè ſingulis quidem rigorosè , quinquennis per ſe obligare præceptum charitatis .

OPponit S. D. 1. Tim. 1. lect. 2. ad & verba finis præcepti charitas eſt, de corde puro, & conſcientia bona , & corde non ficto oſtendit, quid de lege ſit tenendum , & circa hoc duo facit , quia primo oſtendit hoc, ſecundum quòd periculum eſt in his , qui hoc non tenent. Circa primum , &c. hoc autem eſt charitas Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. ſed quomodò charitas eſt finis præcepti ad hoc, &c. *& infrà*. Virtutes ergo omnes reſpiciunt Theologicas, ſicut finem , ergo omnes ordinantur ad charitatem : & ſic dicitur charitas finis præceptorum , & ideò dicit de corde puro : ad hoc enim , quod ſit purum, dantur præcepta virtutum, quod quædam ordinantur ad modum rectificandi paſſiones, &c. per hoc autem paſſiones turbatur puritas cordis : & ideò iſtæ virtutes faciunt cor purum : ſed numquid hoc requiritur ad charitatem? *& concludit lect. 4. ſic. S. D.* ſupra oſtendit virtutum dignitatem , & utilitatem hic declarat harum neceſſitatem , quia quicumque ab his diſſedit, in periculum falſæ doctrinæ cadit, *Sicut de facto contingit in caſu noſtro ; quia ex defectu charitatis author hujus propoſitionis in errorem lapſus eſt, quod & evidentius convincitur ex S. D. in Job c. 7. loc. 1. ubi dicit , quod Job vult oſtendere ad ea verba*. Militia eſt vita hominis ſuper terram ,

quod

quod præſens vita hominis non habet in ſe ultimum finem, ſed comparatur ad ipſum, ſicut motus ad quietem, & via ad terminum, & ideò comparat eam illis ſtatibus hominum, qui tendunt ad aliquem finem, ſcilicet ſtatui militum, qui militando ad victoriam tendunt; *Cum igitur omni ferè momento inſurgant motus rationi oppoſiti, ad quos reprimendos ſola charitas per imperatas virtutes ſufficit reprimere, concludendum venit, quod cum ſemper debeamus nos in tali militia exerceri, inane, & infructuoſum, ac inſufficiens omninò erit non niſi poſt unum quinquennium actum charitatis eligere.*

VII.

Tunc ſolùm obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus.

OPponit S. D. p. 2. q. 109. ar. 9. in c. Indiget homo auxilio gratiæ, ut à Deo moveatur ad rectè agendum, & hoc propter duo. Primo quidem ratione generali, propter hoc, quod, ſicut ſupra dictum eſt, nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire, niſi virtute motionis Divinę. Secundo ratione ſpeciali propter conditionem ſtatus humanæ naturæ, quæ quidem, licèt per gratiam ſanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio, & infectio quantum ad carnem, ut dicitur Ro. 7. quid oremus, ſicut oportet neſcimus, propter varios; &c. & propter hoc etiam renatis in filios Dei per gratiam convenit dicere, & ne nos inducas in tentationem, & fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra, &c. quę in Oratione Dominica continentur ad hoc pertinentia. *Ecce igitur, quod licet homo ſit conſtitutus in gratia, adhuc alia indiget gratia, ad rectè agendum, & hæc ſine charitate Dei eſſe non poteſt, ait enim S. D. p. 2. q. 114. ar. 4. ad 1. dicendum, quòd charitas inquantum habet ultimum finem pro objecto movet alias virtutes, ad operandum.*

VIII.

Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ad ſolam voluptatem non eſt peccatum, modo non obſit valetudini, quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.

OPponit S. D. 2. 2. quæſt. 149. articul. 1. in corp. Reſpondeo dicendum, quòd virtus, quæ ab aliqua generali conditione virtutis nominatur, illam materiam ſibi ſpecialiter vendicant, in qua difficillimum, & optimum eſt conditionem ejus ſervare, ſicut for-

Digitized by Google

fortitudo pericula mortis, ut temperantia delectationes tactus. Nomen autem ſobrietatis ſumitur à menſura, dicitur enim aliquis ſobrius quaſi briam, i. menſuram ſervans, & ideò illam materiam ſpecialiter ſibi ſobrietas adſcribit, in qua maximè laudabile eſt menſuram ſervare, hujuſmodi autem eſt potus inebriare valens, quia ejus uſus menſuratus multum confert, & modicus exceſſus multum lædit, quia impedit uſum rationis, magis etiam quam exceſſus cibi. Unde Eccl. 31. Sanitas eſt animæ, & corporis ſobrius potus. Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit, & ideò ſpecialiter ſobrietas attenditur circa potum, non quemcumque ſed eum, qui ſua formoſitate natus eſt caput conturbare, ſicut vinum, & omne, quod inebriare poteſt. Communiter autem ſumendo nomen ſobrietatis poteſt, in quacumque materia dici, *quapropter ſubdit S. D. a. 2.* ad 1. dicendum, quòd cibus, & potus communiter impedire poſſunt bonum rationis, abſorbendo eam per immoderantiam delectationis, & quantum ad hoc communiter circa cibum, & potum eſt abſtinentia, *ad excludendam autem præſumptionem, quod appetitus naturalis poteſt ſuis actibus frui, addit S. D. 1. 2. q. 35. ar. 4. in c.* quod cibus communiter delectabilis eſt ſecundum appetitum ſenſitivum, bonis, & malis, ſed voluntas bonorum delectatur in eis, ſecundum convenientiam rationis, quam non curat voluntas malorum. *Igitur undequaque proſternitur præmiſſa propoſitio.*

IX.

Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

Opponit S. Doctor in 3. diſt. 12. quæſt. 3. arti 2. quæſtiuncula 1. ad 2. dicendum, quòd Commixtio ſexuum quamvis poſſit fieri ſine peccato, tamen non poteſt eſſe in ſtatu naturæ corruptæ, ſine vitioſa libidine, quę eſt principium peccati: *Verum peccatum ipſum expreſsè docet, in quo conſiſtat, & quale illud ſit in 4. diſt. 31. quæſt. 2. artic. 3. in corp.* Reſpondeo dicendum, quòd quidam dicunt, quod quandocumque ad actum conjugalem libido principaliter movet eſt peccatum mortale, ſed quando movet ex latere tunc eſt peccatum veniale, quando autem delectationem omnino reſpuit, & diſplicet ei tunc eſt omnino abſque veniali peccato, ut ſic delectationem in actu illo quærere ſit peccatum mortale, delectationem oblatam acceptare ſit peccatum veniale, ſed eam odire ſit perfectionis. Sed hoc non poteſt eſſe, quia ſecundum

dum Phil. in 10. Eth. idem eſt judicium de delectatione, & operatione, quia operationis bonæ eſt delectatio bona: & malæ mala; Unde, cum actus matrimonialis non ſit per ſe malus, nec quęrere delectationem erit peccatum mortale ſemper: & ideò dicendum, quòd, ſi delectatio quæratur ultrà honeſtatem matrimonii, ut, ſcilicet, quia aliquis in conjuge non extendat, quod conjux eſt, ſed ſolùm, quod mulier eſt, idem paratus facere, cum & ac ſi non eſſet conjux, eſt peccatum mortale, & talis dicitur ardentior amator uxoris, quia ſcilicet ardor ille extra bona matrimonii effertur. *Si* autem quęratur delectatio infrà limites matrimonii, ut ſcilicet talis delectatio in alia non quęratur, quam in conjuge, ſic eſt veniale peccatum: *Et quibus reſolvit dubium, in quo quęrit*. Ut aliquis peccet mortaliter cognoſcens uxorem, non intendens aliquod matrimonii bonum, ſed ſolam delectationem; *& per hæc eadem reſtat confutata præmiſſa propoſitio*.

X.

Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

OPponit S. D. 2. 2. q. 26. a. 6. in c. Reſpondeo dicendum, quòd duplex opinio circa hoc fuit, nempè videtur proximus ſit magis diligendus, quam amicus, quidam enim dixerunt, quod omnes proximi ſunt æqualiter ex charitate diligendi, quantum ad effectum, ſed non quantum ad exteriorem effectum, potentes ordinem dilectionis eſſe intelligendum, ſecundum exteriora beneficia, quę magis debemus impendere proximis, quam alienis: non autem ſecundum interiorem affectum, quem æqualiter debemus impendere omnibus etiam inimicis, ſed hoc irrationabiliter dicitur. Non enim minùs eſt ordinatus affectum charitatis, qui eſt inclinatio gratiæ, quam appetitus naturalis, qui eſt inclinatio naturæ: utraque enim inclinatio ex Divina Sapientia procedit; Videmus autem in naturalibus, quod inclinatio naturalis proportionatur actui, vel motui, qui convenit naturæ uniuſcujuſque: ſicut terra habet majorem inclinationem gravitatis, quam aqua, quia competit ei eſſe ſub aqua: Oportet ergo, quod etiam inclinatio gratiæ, quæ eſt effectus charitatis proportionetur his, quæ ſunt exterius agenda: ita ſcilicet, ut ad eos, intentionem charitatis affectum habeamus, quibus convenit nos magis beneficos eſſe: & ideò dicendum eſt, quod etiam ſecundum affectum oportet magis unum proximum, quam alium diligere: & ratio eſt, quia cum principium dilectionis ſit Deus, & ipſe diligens neceſſe eſt, quod ſecundum propinquitatem majorem ad alterum iſtorum principiorum, major

jor ſit dilectionis affectus. *Non ergo poſſumus ſine* ***actu interno proxi-mum diligere, ut ponebat præmiſſa propoſitio.***

XI.

Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus, per ſolos actus externos.

OP. S. D. 2. 2. q. 27. a. 2. in c. Reſpondeo dicendum, quòd benevolentia propriè dicitur actus voluntatis, quo alteri bonum volumus, hic autem voluntatis actus differt ab actuali amore, tàm ſecundum quòd eſt in appetitu ſenſitivo, quàm etiam ſecundum quod eſt in appetitu intellectivo, qui eſt voluntas: Omnis autem paſſio, cum quodam impetu inclinat in ſuum objectum. Paſſio autem amoris ſe habet, quod non ſubito exoritur, ſed per aliquam aſſiduam inſpectionem rei amatæ: & ideò Phil. in 9. Eth. oſtendens differentiam inter benevolentiam, & amorem, qui eſt paſſio, dicit, quod benevolentia non habet diſſenſionem, & appetitum, ideſt aliquem impetum inclinationis, ſed ex ſolo judicio rationis homo vult bonum alicui: Similiter etiam, &c. Sic ergo in dilectione ſecundum quod eſt actus charitatitis includitur quidem benevolentia, ſed dilectio, ſeu amor addit unionem affectus; *Quid ergo clarius dici poterat, pro evertenda præmiſſa propoſitione.*

XII.

Vix in Sæcularibus invenies, etiam in Regibus ſuperfluum ſtatui: & ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quandò tenetur ex ſuperfluo ſtatui.

OPponit S. D. 2. 2. q. 32. a. 5. in c. per totum id explicat, & reſolvit, ſicut & confirmat in ſol. ad 3. dicendum, quòd eſt aliquod tempus dare, in quo mortaliter peccat, ſi eleemoſynam dare omittat: ex parte quidem recipientis, cum apparet evidens, & urgens neceſſitas, nec apparet in promptu, qui ei ſubveniat. Ex parte verò dantis, cum habet ſuperflua, quæ ſecundum ſtatum præſentem non ſunt ſibi neceſſaria, prout probabiliter æſtimari poteſt: nec oportet, quòd conſideret omnes caſus, qui poſſunt contingere in futurum; hoc enim eſſe de Craſtino cogitare, quod Dominus prohibet Matth. 6. ſed debet dijudicare ſuperfluum, & neceſſarium ſecundum ea, quæ probabiliter occurrunt; *Igitur falſa eſt doctrina, quam ſtatuit ſine juſtitia, & charitate præmiſſa propoſitio.*

Si

Digitized by Google

XIII.

Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali, de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci effectu appetere, & deſiderare non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

OPponit S. D. 1.2. q. 24. ar. 4. in c. Reſpondeo dicendum, quod ſicut de actibus dictum eſt, ita, & de paſſionibus dicendum videtur, quod ſcilicet ſpecies actus, vel paſſionis dupliciter conſiderari poteſt. Uno modo ſecundum, quod eſt in genere naturæ, & ſic bonum, vel malum morale non pertinet ad ſpeciem actus, vel paſſionis. Alio modo ſecundum, quod pertinet ad genus moris prout, ſcilicet participat aliquid de voluntario, ut judicio rationis, & hoc modo bonum, & malum morale, poſſunt pertinere ad ſpeciem paſſionis ſecundum, quod accipitur, ut objectum paſſionis aliquid de ſe conveniens rationi, vel diſſonum à ratione, ut patet de verecundia, quæ eſt timor turpis, & de invidia, quæ eſt triſtitia de bono alterius: ſic enim pertinet ad ſpeciem exterioris actus. *Ad hoc autem, ut appareat quanta ſit peccati gravitas in ſupradictis S. D. 2. 2. q. 44. art. 7. in c. ait*: Reſpondeo dicendum, quòd hoc præceptum convenienter traditur reſolvendo, nempè dubium ỽ. convenienter detur præceptum de dilectione proximi. Tangitur enim in eo, & diligendo ratio, & dilectionis modus: propter hoc, &c. Modus autem dilectionis tangitur, cum dicitur, ſicut teipſum, quod non eſt intelligendum, quantum ad hoc, quod aliquis proximum ſibi æqualiter diligat, ſed ſimiliter ſibi, & hoc tripliciter: Primò quidem, ex parte finis, ut, ſcilicet aliquis diligat proximum propter Deum, ſicut ſeipſum propter Deum debet diligere, ut ſit dilectio proximi Sancta. Secundo ex parte regulæ dilectionis, ut ſ. aliquis non condeſcendat proximo in aliquo malo, ſed ſolum in bonis, ſicut, & ſuæ voluntati ſatisfacere debet homo ſolum in bonis, ut ſic ſit dilectio proximi juſta. Tertio ex parte rationis dilectionis, ut ſ. non diligat aliquis proximum, propter propriam utilitatem, vel delectationem, ſed ea ratione, quod vult proximo bonum, ſicut vult bonum ſibi ipſi, aut ſic dilectio proximi ſit vera; Nam cum quis diligit proximum propter ſuam utilitatem, vel delectationem, non verè diligit proximum, ſed ſeipſum.

XIV.

Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem, ut malum Patris, ſed, ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas.

OP. S. D. 1. 2. q. 28. a. 5. in c. Reſpondeo dicendum, quòd, ſicut ſuprà dictum eſt, amor ſignificat coaptationem quandam appetitivæ virtutis ad aliquod bonum, nihil autem, quod coaptatur ad aliquid, quod eſt ſibi conveniens, ex hoc ipſo læditur, ſed magis ſi ſit poſſibile proficit, & melioratur, quod verò coaptatur ad aliquid, quod non eſt ſibi conveniens, ex hoc læditur, & deterioratur: Amor ergo boni convenientis eſt perfectivus, & meliorativus amantis: amor autem boni, quod non eſt conveniens amanti, eſt læſivus, & deteriorativus amantis. Unde maximè homo perficitur, & melioratur per amorem Dei. Læditur autem, & deterioratur per amorem peccati, ſecundum illud Oſeæ 9. facti ſunt abominabiles, ſicut ea, quæ dilexerunt. Ex hoc quidem ſic dictum eſt de amore, quantum ad id, quod eſt formale in ipſo, quod eſt ſ. ex parte appetitus; *Atqui hic amor eſt in appetitu non regulato ratione, ſed concupiſcentia: nam, ut docet S. D. 1. 2. q. 34. a. 4. ad 1. bonus eſt cujus voluntas quieſcit in verò bono: malus autem cujus voluntas quieſcit in malo, unde ibidem ad 3. dicendum, quòd, cum delectatio perficiat operationem, per modum finis (ut ſuprà dictum eſt) non poteſt eſſe operatio perfectè bona, niſi etiam adſit delectatio in bono: i. ut ſuprà in verò bono, malum autem patris non poteſt concupiri, ut verum bonum ratione nocumenti: docet enim S. D. in 4. d. 46. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 3. in c.* ad 3. dicendum, quòd pœna de ſui ratione importat aliquid nocivum, ex hoc autem eſt aliquid nocivum; quod per ipſum ſubtrahitur aliquod bonum; inter bona autem hominis, quædam ſunt per ſe loquendo ei bona, quæ ſunt bona hominis in eo, quòd homo: quædam autem ſunt bona, ſecundum ordinem ad iſta bona, ſicut temporalia bona, atqui in præmiſſo deſiderio privatur homo potiſſimo naturali bono, nempe vita, igitur iſte actus non poteſt eſſe laudabilis, nam, ut ait S. D. 2. 2. q. 31. art. 4. ad 2. dicendum, quòd, ſicut omnia beneficia proximo exhibita, inquantum conſiderantur ſub communi ratione boni, reducuntur ad amorem: ita omnia nocumenta, inquantum conſiderantur ſecundum communem rationem mali, reducuntur ad odium, *idipſum autem explicatius tradit S. D. 2. 2. q. 73. art.* 8. ad 2.

ipſum

Digitized by Google

ipſum nocumentum aggravat peccatum, inquantum facit actum eſſe magis inordinatum, unde non ſequitur, quod ſi nocumentum maximè habeat locum in peccatis, quæ ſunt contra proximum, quod illa peccata ſint graviſſima, quia multò major inordinatio invenitur in peccatis, quæ ſunt contra Deum: *ergo jam ex tali nocumento gravitas peccati attenditur*, *quod quidem exponit S. D. ibidem in c.* dicendum, quòd nocumentum tripliciter ſe habere poteſt ad peccatum. Quandoque enim nocumentum, quod provenit ex peccato eſt proviſum, & intentum, ſicut cum aliquis aliquid operatur animo nocendi alteri, ut homicida, vel fur, & tunc directè quantitas nocumenti adauget gravitatem peccati, quia tunc nocumentum eſt per ſe objectum peccati, neque valet dicere, *quod mors patris deſideratur per accidens, & per ſe hæreditas, quia ut docet D. T. in 3. d. 34. q. 1. art. 3. ad 2.* in nullo voluntas hoc modo deficit, ut ſaltem in aliqua bona non convertatur, quia malum ſi perfectum ſit, ſeipſum deſtruit: *idipſum autem reprobat* 1. 2. *q.* 9. *art.* 2. *in c.* Reſpondeo dicendum, quòd, ſicut ſuprà dictum eſt, id quod apprehenditur ſub ratione, & convenientis, movet voluntatem per modum objecti, quod autem aliquid videtur bonum, & conveniens, ex duobus contingit, ſcilicet ex conditione ejus, quod proponitur, & ejus cui proponitur, conveniens enim ſecundum relationem dicitur: Unde ex utrobique extremorum dependet: & inde eſt, quod juſtus diverſimodè diſpoſitus non eodem modo accipit aliquid, ut conveniens, & ut non conveniens: Unde Phil. dicit in 3. Eth. qualis unuſquiſque eſt, talis finis videtur ei: Manifeſtum eſt autem, quod ſecundum paſſionem appetitus ſenſitivi, immutatur homo ad aliquem diſpoſitionem, unde ſecundum quòd homo eſt in paſſione aliqua, videtur ſibi aliquid conveniens, quod non videtur extra paſſionem exiſtenti, ſicut irato videtur bonum, quod non videtur quieto, & per hunc modum ex parte objecti appetitus ſenſitivus, movet voluntatem, *atqui idem dicendum eſt de morte concupita in ordine ad hæreditatem, igitur idem, quod prius: nam S. D.* 1. 2. *q.* 12. *art.* 4. *in c.* Reſpondeo dicendum, quòd motus voluntatis in finem, at in id quod eſt ad finem poteſt conſiderari dupliciter. Uno modo ſecundum quòd voluntas in utrumque fertur abſolutè, & ſecundum ſe, & ſic ſunt ſimpliciter duo motus voluntatis in utramque. Alio modo poteſt conſiderari, ſecundum quòd voluntas fertur in id, quod eſt ad finem propter finem, & ſic unus, & idem ſubjecto motus voluntatis eſt tendens ad finem: cum enim dico volo medicinam propter ſanitatem, non deſigno, niſi unum motum volunta-

tis, cujus ratio eſt, quia finis ratio eſt volendi ea, quæ ſunt ad finem: *Tandem experimentaliter S. D. evertit hanc præmiſſam propoſitionem exponens illud Job c. 1 & benedixerint Deo in cordibus ſuis; quamvis enim benedicere Deum ſit bonum, tamen benedicere Deum de hoc, quod homo peccavit, ſignificat voluntatem in peccatis quieſcentem, & quantum ad hoc vituperatur, ſicut in Zach. 11. dicitur contra quoſdam, paſce pecora occiſionis, quæ qui poſſidebant occidebant, & non dolebant, & vendebant ea dicentes: Benedictus Deus, divites facti ſumus; igitur & in præſenti, non licet per malum ad bonum ſui tranſire.*

XV.

Licitum eſt filio gaudere de Patricidio parentis à ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias, quas inde eſt hæreditate conſequutus.

Opponit S. D. 1.2. qu. 32. ar. 8. in c. Reſpondeo dicendum delectatio in affectionibus animæ, ſicut dictum eſt, proportionatur quieti in corporibus naturalibus; dicuntur autem duę quietes eſſe contrariæ, quæ ſunt in contrariis terminis, ſicut quies, quæ eſt surſum ei, quæ eſt deorſum, ut dicitur 5. Phyſ. Unde, & contingit in affectibus animę duas delectationes eſſe contrarias. *Quia tamen hæc contrarietas non admittitur, niſi in phyſicis; ſecus autem in moralibus S. D. ait ad primum hic* dicendum, quod verbum illud Phil. eſt intelligendum ſecundum, quod bonum, & malum accipiuntur in virtutibus, & vitiis; nam invenimus duo contraria circa vitia, non autem invenitur virtus contraria virtuti. In aliis autem nihil prohibet, duo bona eſſe adinvicem contraria, ſicut calidum, & frigidum, quorum unum eſt bonum igni, alterum aquæ, & per hunc modum delectatio poteſt eſſe delectationi contraria. Sed hoc in bono virtutis eſſe non poteſt, quia bonum virtutis non accipitur, niſi per convenientiam ad aliquid unum, ſcilicet rationem. *Ex quibus deducitur, quod homo nequit gaudere virtuoſè, & ſe delectari de patricidio, & ſimul de divitiis, & cum malum ſit ex quocumque defectu, neque mala appetenda ſint, ut veniant bona, neutiquam licet de illis gaudere ob advenientiam boni temporalis, & propterea evaneſcit præmiſſa propoſitio.*

XVI.

Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe.

OP. *S. D.* 2.2. *q.* 2. *a.* 3. *in quo querit* ℣. Credere aliquid ſuprà rationem naturalem ſit neceſſarium ad ſalutem, concludit *in fine Corporis ſic*. Unde ad hoc, quod homo perveniat ad perfectam viſionem beatitudinis, præexigitur, quod credat Deo, tanquam diſcipulus Magiſtro dicenti, *Ex ſol. ad prim. ait*. Reſpondeo dicendum, quod quia natura hominis dependet à ſuperiori natura, ad ejus perfectionem non ſufficit cognitio naturalis, ſed requiritur quędam ſupernaturalis, ut ſuprà dictum eſt. *Et clarius ar.* 5. *in c.* Quantum ergo ad prima credibilia, quæ ſunt articuli fidei, tenetur homo explicitè credere, ſicut, & tenetur habere fidem, *igitur evidenter convincitur, ut falſa præmiſſa propoſitio.*

XVII.

Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicère.

OP.S.D. in diſp. de Fide q. 14. a. 11. Reſpondeo dicendum, quòd implicitum propriè dicitur eſſe illud, in quo quaſi in uno multa continentur, explicitum autem, in quo unumquodque ipſorum in ſe conſideratur, & transferuntur hæc nomina à corporalibus ad ſpiritualia. Unde quandò aliqua multa virtute continentur in aliquo uno, dicuntur eſſe in illo implicitè, ſicut concluſiones in principiis: explicitè autem in aliquo continetur, quod in eo actu exiſtit; Unde ille, qui cognoſcit aliqua principia univerſalia, habet implicitam cognitionem de omnibus concluſionibus particularibus; Qui autem concluſiones actu conſiderat, dicitur eas explicitè cognoſcere: Unde & explicitè dicimur aliqua credere, quandò eis actu cogitatis adhæremus; Implicitè vero, quandò adhæremus quibuſdam, in quibus, ſicut in principiis univerſalibus ita continentur; Sicut qui credit fidem Eccleſiæ veram eſſe in hoc, quaſi implicitè credit ſingula, quæ ſub fide Eccleſiæ continentur. Sciendum eſt autem, quod aliquid eſt in fide ad quod omnes, & omni tempore explicitè credendum tenentur. Quędam verò ſunt in ea, quæ omni tempore ſunt explicitè credenda, ſed non omnibus: Quędam verò ab omnibus, ſed non omni tempore; Quædam verò, nec ab omnibus, nec omni tempore; Quod enim oporteat aliquid explicitè credi ab omni fideli, ex hoc apparet, quod

acce-

acceptio fidei, ſe habet in nobis reſpectu ultimæ perfectionis, ſicuti acceptio diſcipuli de his, quæ ſibi primo à magiſtro traduntur: & infrà, Unde quilibet tenetur explicitè credere, & omni tempore Deum eſſe, & habere providentiam de rebus humanis: & infrà: Tempore ergo gratiæ omnes majores, & minores de Trinitate, & de Redemptore tenentur explicitam fidem habere, non tamen omnes credibilia circa Trinitatem, vel Redemptorem, minores explicitè credere tenentur, ſed ſoli majores. Minores autem tenentur explicitè credere generales articulos, ut Deum eſſe Trinum, & Unum, filium Dei eſſe incarnatum, & mortuum, & reſurrexiſſe, & alia hujuſmodi de, quibus Eccleſia fæſta facit. *At, ſi quis ſemel in vita eliceret actum fidei, in illo omnia implicite crederet, quod tamen non ſuffucere in ſuper exponit S. D. in 3. di. 25. quæſt. 2. art. 2. quæſtiunc. 3. in c.* Poſt peccatum oportuit haberi cognitionem explicitam de Redemptore, & præcipuè quantum ad ea, quibus nos in finem reducit, victo hoſte à quo detinebamur. Ad hoc autem quod nos in finem reduceret, quatuor requirebantur. Primum eſt, quod propugnator noſter inſtrueretur, quod factum eſt in Nativitate. Secundum eſt, quod propugnaret, quod factum eſt in Paſſione. Tertium eſt, quod vinceret, quod factum eſt in reſurrectione, quando æternitatis aditum devicta morte reſeravit. Quarto, quod victorię ſuæ omnes ſuos participes faceret, & hoc erit in judicio, quando bonis bona, & malis mala reddentur, & ideò iſta præcipue requirebantur, ut de redemptore explicite ſcirentur. *Ecce quanta charitate ſenſus Catholicus diſtuſſa caligine illuminetur.*

XVIII.

Si à poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Dei, & fidei glorioſum, conſulo tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno.

Op. S. D. 2. 2. q. 3. a. 2. c. Præcepta affirmativa, ut ſupra dictum eſt, non obligant ad ſemper, & ſi ſemper obligent, obligant autem pro loco, & tempore, ſecundum alias circumſtantias debitas; ſecundum quas oportet actum humanum limitari ad hoc, quod ſit actus virtutis: ſic ergo confiteri fidem non ſemper, neque in quolibet loco eſt de neceſſitate ſalutis, ſed in aliquo loco, & tempore, quando, ſcilicet per dimiſſionem hujus confeſſionis ſubtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilitas proximis impenderetur:

Digitized by Google

retur: puta ſi aliquis interrogatus de fide, taceret: & ex hoc crederetur, vel, quod non haberet fidem, vel, quod fides non eſſet vera, vel alii per ejus taciturmitatem averterentur à fide: In hujuſmodi enim caſibus confeſſio fidei eſt de neceſſitate ſalutis; *Ecce igitur, quàm valide proſternatur præmiſſa propoſitio.*

XIX.

Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſeipſo, ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

OPponit S. D. 2. 2. q. 1. art. 5. in c. Reſpondeo dicendum, quòd omnis ſcientia habetur per aliqua principia, per ſe nota, & per conſequens viſa, & ideò oportet quæcumque ſunt ſcita, aliquo modo eſſe viſa: Non eſt autem poſſibile, quod idem ab eodem ſit viſum, & creditum, ſicut ſuprà dictum eſt; Unde etiam impoſſibile eſt, quod ab eodem idem ſit ſcitum, & creditum, poteſt tamen, &c. Id tamen, quod communiter omnibus proponitur hominibus, ut credendum, eſt communiter non ſcitum: & iſta ſunt, quæ ſimpliciter fidei ſubſunt, & ideò fides, & ſcientia non ſunt de eodem: *& ſubdit* S. D. ad 2. dicendum, quòd rationes, quæ inducuntur à Sanctis ad probandum ea, quæ ſunt fidei, non ſunt demonſtrativæ, ſed perſuaſiones quædam manifeſtantes, non eſſe impoſſibile, quod in fide proponitur, vel procedunt ex principiis fidei, ſcilicet ex authoritatibus S. Scripturæ, ſicut dicit Dion. 2. c. de Div. Nom. Ex his autem principiis, ita probatur aliquid apud fideles, ſicut etiam ex principiis naturaliter notis, probatur aliquid apud omnes; Unde etiam Theologia ſcientia eſt, ut in principio operis dictum eſt. Ruit ergo ædificium ad deſtructionem fundamenti, quo nitebatur præmiſſa propoſitio, præcipuè ad ea, quæ nullatenùs diſcurſum admittunt, ut ait S. D. ut ſup. Heb. 11. lect. 2. Alia, quæ ſpecialiter Chriſtus de Deo Patre, Filio, & Spirituſancto docuit, quantum ad unitatem eſſentiæ, & æternitatem perſonarum, & hoc tantum eſt creditum. *Igitur quantum ad aliqua credibilia ſola voluntas firmitatem poterit præſtare.*

Hinc

XX.

Hinc poteſt aliquis prudenter repudiare aſsenſum, quem habebat ſupernaturalem.

OP. S. D. 2. 2. q. 2. art. 9. ad ſecundum dicendum, quòd in ſcientia duo conſiderari poſſunt, ſcilicet ipſe aſſenſus ſcientis ad rem ſcitam, & conſideratio rei ſcitæ. Aſſenſus autem ſcientiæ non ſubjicitur libero arbitrio, quia ſciens cogitur ad aſſentiendum per efficaciam demonſtrationis, & ideò aſſenſus ſcientiæ non eſt meritorius, ſed conſideratio actualis rei ſcitæ ſubjacet libero arbitrio; eſt enim in poteſtate hominis conſiderare, vel non conſiderare, & ideò conſideratio ſcientiæ, poteſt eſſe meritoria ſi referatur ad finem charitatis, ideſt ad honorem Dei, vel utilitatem proximi, ſed in fide utrumque ſubjacet libero arbitrio, & ideò quantum ad utrumque actus fidei poteſt eſſe meritorius: ſed opinio non habet formam aſſenſus: eſt enim quoddam debile, & infirmum ſecundum Phil. in p. poſt. unde non videtur procedere ex perfecta voluntate. *Igitur aſsenſus talis, qualem præſefert præmiſsa propoſitio, cum ſit dependens à voluntate non perfecta, imprudenter, quis repudiabit aſsenſum fidei ſupernaturalem, in quo eſt voluntatis perfectę immobilis aſsenſus, ſpectat enim ad prudentiam.*

XXI.

Aſsenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem, ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis, imò cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit loquutus Deus.

OPponit S. D. 2. 2. q. 1. ar. 4. in c. Reſpondeo dicendum, quòd fides importat aſſenſum intellectus ad id, quod creditur aſſentit autem intellectus alicui dupliciter. Uno modo, &c. Alio modo intellectus aſſentit alicui, non quia ſufficienter moveatur ab obſtandi proprio, ſed per quandam electionem, voluntariè declinans in unam partem, magis, quam in aliam: & ſi quidem hæc ſit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio: ſi autem ſit cum certitudine abſque tali formidine, erit fides: & in art. 6. ſubſequenti in ſol. ad 4. in fine dicit. Scientia enim, cum opinione, ſimul eſſe non poteſt ſimpliciter de eodem, quia de ratione ſcientiæ eſt, quod id, quod ſcitur, exiſtimetur eſſe impoſſibile aliter ſe habere. De ratione autem opinionis eſt quod id, quod eſt

eſt opinatum exiſtimetur poſſibile aliter ſe habere: ſed id, quod fide tenetur propter fidei certitudinem, exiſtimatur etiam impoſſibile aliter ſe habere. *Igitur cum non compatiantur tenebræ cum luce, neque præmiſſa propoſitio cum evidentia iſtius doctrinæ.*

XXII.

Non niſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita remuneratoris.

OPponit S. D. Heb. 11. Lec. 2. ad ipſamet verba Apoſtoli hęc eadem referens habet. Nullus enim poteſt Deo placere, niſi accedat ad ipſum, Jac. 4. appropinquate Deo, & appropinquabit vobis, Pſ. 33. accedite ad eum, & illuminamini, ſed nullus accedit ad Deum, niſi per fidem. Sicut enim, &c. Unde dicit oportet credere quia eſt, quod dicit propter ejus æternitatem. Ex. 3. qui eſt, miſit me, ſecundo quod ſciat, quod Deus habet providentiam de rebus; aliter enim nullus iret ad ipſum, ſi non ſperaret aliquam remunerationem ab ipſo. Unde dicit, & inquirentibus, ſe remuneratorem. Ex. 40. Ecce Dominus veniet, ecce merces ejus cum eo. Merces autem eſt illud, quod homo quærit in labore Matth. 20. voca operarios, & redde illis mercedem, quæ merces nihil aliud eſt, quàm Deus, quia nihil extra ipſum habet homo quærere, & infrà: Sed numquid hæc duo ſufficiunt ad ſalutem? Reſpondeo dicendum, quòd poſt peccatum primi parentis, nemo potuit ſalvari à reatu culpæ originalis, niſi per fidem mediatoris: *Igitur non ſola fides unius Dei ſufficit neceſſitate medii explicitè credita, ſed ulterius, & ratio remunerationis, & ratio mediatoris explicitè eſt habenda, & ſic proſternitur falſitas præmiſſæ propoſitionis.*

XXIII.

Fides latè dicta ex Teſtimonio creaturarum, ſimilivè motivo, ad juſtificationem ſufficit.

OPponit S. D. p. 2. q. 107. art. 2. in c. Reſpondeo dicendum, quod, ſicut dictum eſt, lex nova comparatur ad veterem, ſicut perfectum ad imperfectum, omne autem perfectum adimplet id, quod imperfecto deeſt, & ſecundum hoc, lex nova adimplet veterem legem, inquantum ſupplet illud, quod legi veteri deerat. In lege autem veteri duo poſſunt conſiderari, ſcilicet finis, & præcepta contenta in lege. Finis verò cujuslibet legis eſt, ut homines

Digitized by Google

efficiantur juſti, & virtuoſi, ut ſuprà dictum eſt, unde, & finis veteris legis, erat juſtificatio hominum, quam quidem lex efficere non poterat, ſed figurabat quibuſdam ceremonialibus factis, & promittebat verbis, & quantum ad hoc lex nova implet veterem legem juſtificando, per virtutem Paſſionis Chriſti, & hoc eſt quod Apoſtolus dicit ad Rom. 8. quod impoſſibile erat legi, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, damnavit peccatum in carne, ut juſtificatio legis impleretur in nobis, & quantum ad hoc lex nova exhibet, quod lex vetus promittebat. Igitur non bene attendentes authores præmiſſæ propoſitionis, auſi ſunt contra Apoſtolum dicentem impoſſibile eſſe, &c. homines juſtificare ſolo teſtimonio humano, quod etiam legi veteri non fuit conceſſum, atqui, lex nova in ſola Chriſti fide conſiſtit, *ergo in hac ſola juſtificari nobis datum eſt.*

XXIV.

Vocare Deum in Teſtem mendacii levis non eſt tanta irreverentia, propterquam velit, aut poſſit damnare hominem.

OP. S. D. 2. 2. q. 89. a. 3. ad 3. dicendum, quòd in juramento eſt periculum magnum, tum propter Dei magnitudinem cujus teſtimonium invocatur, tum etiam propter habilitatem linguæ humanæ, cujus verba juramento confirmantur, & ideò hujuſmodi (i. juſtitia, judicium, & veritas) magis requiruntur ad juramentum, quam ad alios humanos actus. *Ex quibus ſatis liquet de inani ſubſiſtentia præmiſſæ propoſitionis.*

XXV.

Cum cauſa licitum eſt jurare, ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.

OPponit S. D. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 1. dicendum, quòd aliud eſt de ſimplici verbo, aliud de juramento, in quo divinum teſtimonium imploratur. Sufficit enim ad veritatem verbi, quod aliquis dicat id, quod proponit ſe facturum, quia hoc jam verum eſt in ſua cauſa, ſcilicet in propoſito facientis, ſed juramentum adhiberi non debet, niſi in re de qua aliquis firmiter certus eſt, & ideò ſi juramentum adhibeatur propter reverentiam Divini teſtimonii, quod invocatur, obligatur homo, ut faciat eſſe verum id, quod juravit, ſecundum ſuam poſſibilitatem, niſi in deteriorem exitum ver-

Digitized by Google

vergat, *de quo quidem exitu videatur ibidem S. D. ſolut. ad 2. igitur, quod non præmittitur in ſimplici verbo, multò minus in ipſo juramento*.

XXVI.

Si quis ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocumque alio ſine juret, ſe non feciſſe aliquod, quod re vera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec eſt perjurus.

OPponit S. D. 2. 2. q. 89. art. 4. ad 2. dicendum, quòd in hoc ipſo, quod aliquis aſſumit Deum in teſtem per modum juramenti profitetur eum majorem, quod pertinet ad Dei reverentiam, & ſic aliquid offert Deo, ſcilicet reverentiam, & honorem: Atqui non habens animum jurandi quovis modo, inhonorat nomen Dei, illo abutendo, *igitur quoad omnes partes ruit præmiſſa propoſitio*. Item S. D. in diſp. 9. de Ver. art. 2. in c. Res naturalis inter duos intellectus conſtituta, ſecundum adæquationem ad utrumque vera dicitur: ſecundum enim adæquationem ad intellectum Divinum dicitur vera, inquantum implet hoc ad quod eſt ordinata per intellectum Divinum, ſecundum autem adæquationem ad intellectum humanum dicitur res vera, inquantum nota eſt de ſe formare veram æſtimationem, ſicut contrariò res falſæ dicuntur, quæ natæ ſunt videri, quæ non ſunt, aut qualia non ſunt, ut dicitur 5. Meth. & ibidem ſol. ad 3. ait, quod illud, quod eſt in aliquo non ſequitur illud, in quo eſt, niſi quando cauſatur ex principiis ejus: unde lux, quæ cauſatur in aere ab extrinſeco, ſcilicet ex ſole, ſequitur motum ſolis, magis, quam aerem, ſimiliter etiam veritas, quæ in anima cauſatur à rebus, non ſequitur (nota) exiſtimationem animæ, ſed exiſtentiam rerum ex eo enim, quod res eſt, vel non eſt oratio vera, vel falſa dicitur, & intelligitur ſimiliter, & infrà art. 8. in c. ait S. D. ſicut, ſi forte exiſtente albo intelligatur albus eſſe, verus eſt intellectus: ſi autem poſtea intelligit eum nigrum forte albo remanente, vel è converſo forte mutato in nigredinem, adhuc albus intelligatur, vel eo mutato in pallorem, intelligatur eſſe rubeus, erit falſitas in intellectu; *Igitur ex his habetur, quod qualibet facta mutatione, & detracta plena conformitate rei ad intellectum veritas de medio tollatur; ſed quia poſſet aliquis dicere, quod voluntas tenetur ſequi ductum rationis*

Digitized by Google

etiam errantis , *unde S. D.* 1. 2. *q.* 19. *a.* 5. *in calce corporis ait* Unde dicendum eſt, quod ſimpliciter omnis voluntas diſcordans à ratione, ſive recta, ſive errante ſemper eſt mala; *igitur non peccabit homo in juramento dependente à ratione errante. Verum reſolvitur facilè hoc dubium ex ipſo S. D. ibidem a. 6. in c.* ſi igitur ratio, vel conſcientia erret errore voluntario, vel directè, vel propter negligentiam, quia eſt error circa id, quod quis ſcire tenetur, tunc talis error rationis, vel conſcientiæ non excuſat, quin voluntas concordans rationi, vel conſcientiæ ſic erranti ſit mala, *cum ergo in caſu noſtro ratio ſit errans ex mera malitia, etiam voluntas in juramento erit omninò culpanda: unde patet de præmiſſa propoſitione.*

XXVII.

Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſsarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur expediens, & ſtudioſa.

OP. S. D. 2. 2. q. 40. ar. 3. in c. Reſpondeo dicendum, quòd inſidiæ ordinantur ad fallendum hoſtes. Dupliciter autem aliquis poteſt falli ex facto, vel dicto alterius. Uno modo ex eo, quòd ei dicitur falſum, vel non ſervatur promiſſum, & iſtud ſemper eſt illicitum, & hoc modo nullus debet hoſtes fallere, ſunt enim quędam jura bellorum, & fędera etiam inter ipſos hoſtes ſervanda, ut Ambroſ. dicit in lib. de Officiis. *Igitur multo magis ſi id non licet in bello, non licebit in pace, quæ ſemper cum juſtitia oſculatur. Præter quamquod, ut ait Apoſtolus Rom.* 3. non ſunt facienda mala, ut veniant bona. *Ad quæ verba S. D. ait*, quorum condemnatio juſta eſt, ideſt eorum, qui faciunt mala, ut veniant bona, ſicut enim non eſt verum ſyllogizandum ex falſis, ita non eſt perveniendum ad bonum finem per mala, *& inſuper S. D.* 2. 2. *qu.* 54. *a.* 3. ad 2. dicendum, quòd non oportet ad finem bonum falſis viis pervenire, & ſimulatis, ſed veris: unde aſtutia, etiamſi ordinetur ad bonum finem, eſt peccatum, *& tandem q.* 1. *de ver. art.* 3. *in c.* patet ergo ex dictis, quod verum per prius dicitur de compoſitione, vel diviſione intellectus, ſecundo de definitionibus rerum, ſecundum quòd in eis implicatur poſitio vera, vel falſa. Tertio de rebus ſecundum quòd adæquantur intellectui Divino, vel aptæ ſunt adæquari intellectui humano. Quartò de homine, qui eſt electivus orationum ſuarum verarum, vel falſarum, vel qui facit æſtimationem.

Digitized by Google

nem de ſe, vel de aliis veram, vel falſam, per ea, quæ dicit, vel facit: voces autem eodem modo recipiunt veritatis prædicationem, ſicut intellectùs quos ſignificant: *igitur ex præjudicio veritatis non licet admittere ſenſum præmiſſæ propoſitionis.*

XXVIII.

Qui mediante commendatione, vel munere, ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

OPponit S. D. 2. 2. q. 71. art. 3. ad 3. Advocato defendenti cauſam juſtam, licet prudenter occultare ea, ex quibus impediri poſſet proceſſus ejus: non autem licet ei aliqua falſitate uti, & inſuper 2. 2 quæſt. 89. art. 7. ad 3. dicendum, quòd in juramento, quod quis coactus facit, duplex eſt obligatio, una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittitur, & talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promiſſum non ſervetur. Alia autem eſt obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promiſit, & talis obligatio non tollitur in foro conſcientiæ, quia magis debet damnum temporale ſuſtinere, quam juramentum violare: *Atqui quęrens magiſtratum, non eſt coactus, ergo multò magis tenetur ad juramentum, nam, ut ait Greg. 27. mor.* Humanæ aures talia verba noſtra judicant, qualia foris ſonant, *ut notat hic S. D. ſol. ad 4. & inſuper quol. 2. q. 5. ar.* 10.. *in c.* Si vitium rei venditæ faciat rem minus valere, quam prætium impoſitum à venditore, injuſta erit venditio: unde peccat occultans vitium: *rationem autem hujus adducit ibidem S. D.* quia unuſquiſque venditor ad hoc tenetur, ut juſtam venditionem faciat. *Si ergo jurans non ſecundum intentionem exigentis contra juſtitiam facit, neutiquam id ei licebit, unde per optimè damnatur præmiſſa propoſitio.*

Urgens

Digitized by Google

XXIX.

Urgens metus gravis eſt cauſa juxta Sacramentorum, adminiſtrationem ſimulandi.

OP. S. D. 2.2. q. 125. ar. 3. in c. Reſpondeo dicendum, quòd timor peccatum eſt ſecundum, quod eſt inordinatus, prout, ſcilicet refugit, quod non eſt ſecundum rationem re fugiendum, hæc autem inordinatio timoris, quandoque quidem conſiſtit in ſolo appetitu ſenſitivo, non ſuperveniente conſenſu rationalis appetitus, & ſic non poteſt eſſe peccatum mortale, ſed ſolum veniale, quandoque vero hujuſmodi inordinatio timoris pertingit uſque ad appetitum rationalem, qui dicitur voluntas, quę ex libero arbitrio refugit aliquid non ſecundum rationem, & talis inordinatio timoris quandoque eſt peccatum mortale, quandoque veniale. Si enim aliquis propter timorem, quo refugit periculum mortis, vel quodcumque aliud temporale malum ſi diſpoſitus eſt, ut faciat aliquid prohibitum, vel prætermittat aliquid, quod eſt præceptum in lege Divina, talis timor eſt peccatum mortale. Hinc S. D. ſup. Jo. c. 10. Malus paſtor etiam corporalis nullum detrimentum vult ſuſtinere pro grege, cum non intendat eorum commodum, ſed proprium. Bonus vero paſtor etiam corporalis ſuſtinet multa pro grege, cujus bonum intendit. Unde Jacob dixit Gen. 31. Nocte ac die gelu urebar, & æſtu. Sed in corporalibus paſtoribus non exigitur à bono paſtore, ut exponat ſe morti propter ſalutem gregis. Sed quia ſpiritualis gregis ſalus præponenda eſt corporali vitæ paſtoris, ideò cum periculum imminet de gregis ſalute, debet quiſque ſpiritualis paſtor corporalis vitæ ſuſtinere ſtipendium, pro gregis ſalute: & hoc eſt, quod Dominus dicit bonus paſtor animam ſuam ponit (id vitam corporalem) pro ovibus ſuis: ideſt authoritate, & charitate. *Quomodò igitur concordabit, cum præſenti ſententia Euangelica, ſic ad literam expoſita, præmiſſæ propoſitionis iniquitas?*

Digitized by Google

XXX.

Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.

OPponit S. D. ad Rom. 12. lect. ubi in fine. *Noli vinci à malo probat*, quod dicit per rationem: naturale eſt enim homini, ut velit adverſarium vincere, & non vinci ab eo: illud autem ab aliquo vincitur, quod ad illud trahitur, ſicut aqua vincitur ab igne, quando trahitur ad calorem ignis. Si ergo bonus aliquis homo propter malum, quod ſibi ab aliquo infertur, trahatur ad hoc, quod ei malefaciat, bonus à malo vincitur. Dicit ergo: noli vinci à malo, ſcilicet ejus, qui te perſequitur, ut tu eum perſequaris. *Nec ſufficit dicere ad ignominiam, & confuſionem tollendam, nam S. D. ſup. Pſ. 24 ad illud verbum*, non erubeſcam, *ait*. Erubeſcit, quis à tribus, vel quando opprimitur ab hoſte, vel quando fruſtratur, vel quando recogitat peccatum, quod fecit, *& ſubdit*. Primò oſtendit quibus non debeatur confuſio, ſecundò oſtendit quibus debeatur: etenim, qui ſuſtinent te non confundentur, confuſio autem debetur, inique agentibus eſt enim duplex confuſio bona, & mala; *Ex quibus habes clarè, quod illa confuſio bona eſt, conſiſtens in ſuſtinentia Domini, & ideò acceptanda in ipſo Domino, ad malam fugiendam confuſionem, & ſic neutiquam ſubſiſtit propoſitio præmiſſa, ejuſque imaginaria ſuaſio.*

XXXI.

Regulariter occidere poſſum furem, pro conſervatione unius aurei.

OP. S. D. in diſp. q. 12. art. 5. in c. Reſolvendo dubium ℣. ira ſit vitium capitale? ait Reſpondeo dicendum, ſicut ſuprà dictum eſt: Vitium capitale eſt ex quo alia vitia oriuntur, ſecundum rationem cauſæ finalis. Contingit autem, ut in pluribus ad finem iracundiæ, ideſt ad vindictam ſumendam multa inordinatè fieri, quæ quidem inordinatè facta ſunt quædam peccata, & ideò ira eſt vitium capitale, & ponit Greg. 31. mor. Septem filias ejus, quæ ſunt rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blaſphe-

phemiæ, & hujus ratio eſt; quia ira poteſt conſiderari tripliciter: Uno modo ſecundum quòd eſt in corde. Alio modo ſecundum quòd eſt in ore. Tertio modo ſecundum quòd procedit uſque ad opus. Secundum autem, quod eſt in corde unum quidem vitium oritur ex parte ſuæ cauſæ, quæ eſt injuria illata, non enim nocumentum illatum provocat ad iram, niſi inquantum conſideratur ſub ratione injuſti, ſic enim ei debetur vindicta, quanto autem aliqua perſona eſt vilior, vel magis obnoxia alteri, tanto injuſtius eſt, quod ei nocumentum inferat: & ideò iratus conſiderans nocumentum ſibi illatum, magnificat in animo ſuo injuſtitiam, & ex hoc procedit ad vendicandum indignitatem perſonæ inferentis nocumentum, & hæc eſt propriè indignatio. *Cum igitur furtum habeat rationem doli, & fraudis, ut docet S. D. 2. 2. q. 66. art. 5. in c.* magnam iram accendendo, *etiam magnum peccatum parat in corde hominis illius, qui magis facit unum aureum, quam vitam unius hominis ad imaginem Dei facti, Chriſtique ejus filii ſanguine fuſo redempti; nam, ut ait* S. D. loc. ſup. cit. ſecundum quòd ira procedit in actum, ſic cauſantur rixæ, in quibus includuntur omnia conſequentia, ſicut vulnerationes homicidia, & hujuſmodi.

XXXII.

Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus incohatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

Opponit S. D. loc. cit. in diſp. ar. 5. ad 2. dicendum, quòd ira eſt ſpeciale vitium; opponitur tamen diverſis virtutibus ſecundum diverſas rationes. Nam quantum ad ipſam ordinationem paſſionis opponitur manſuetudini: Quantum autem ad nocumentum, quod intentant inferre, opponitur charitati: quantum autem ad rationem apparentis juſtitiam conſiderat, opponitur veræ juſtitiæ: magis tamen opponitur manſuetudini, quæ eſt moderativa iræ: *Atqui delinquentes contra juſtitiam in re gravi peccaret graviter, ut ait idem* S. D. 2. 2. q. 65. a. 1. ad 2. & ideò privare aliquem vita, in nullo caſu pertinet ad aliquem, niſi ad publicam poteſtatem, cui committitur procuratio boni communis; *igitur neutiquam præmiſſa rationabilis eſt ſententia.*

Lici-

Digitized by Google

XXXIII.

Licitum eſt tàm hæredi, quàm legatario contra injuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur ſe taliter defendere, ſicut & jus habenti in Cathedram, vel præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem.

OPponit S. D. in diſp. q. 12. ar. 2. in C. Ira importat quendam appetitum alicujus mali, ideſt nocumenti, quod quærit inferre proximo, non tamen oportet illud ſub ratione mali, ſed ſub ratione boni, quod eſt juſtum vindicativum, propter hoc enim iratus quærit alium lædere, ut vindicet injuriam ſibi factam, motus autem appetitivi magis dijudicantur ſecundum illud, quod eſt formale in objecto, quam ſecundum id, quod eſt materiale in ipſo: Unde magis eſt dicendum, quod ira ſit proſequutio boni, quam quod ſit proſequutio mali, quia id, quod quærit, eſt malum materialiter, ſed bonum formaliter. Quamvis autem omnis proſequutio mali ſit mala, non tamen omnis proſequutio boni eſt bona; ſed oportet conſiderare, an illud bonum ſit verum, & ſimpliciter bonum, vel magis ſit apparens, & ſecundum quid bonum. Nam proſequutio ejus, quod eſt verè, & ſimpliciter bonum, eſt bona: Sicut amor, & concupiſcentia, & gaudium de ipſa. Sed proſequutio ejus, quod eſt bonum apparens, & ſecundum quid, malum autem ſimpliciter, & ſecundum rei veritatem eſt mala; Sicut patet in gula, & luxuria, in quibus vituperatur concupiſcentia apparentis, & non veri boni; Sic ergo dicendum eſt in propoſito, quod ſi ira ſit appetitus vindictæ, ſecundum quod verè eſt juſta, tunc ira erit bona, & virtuoſa, & vocatur ira per zelum: Si autem ſit vindictæ, quæ eſt apparens juſta, & non verè juſta, ſic ira eſt peccatum, quam Greg. in 5. Mor. vocat iram per vitium. Eſt autem vindicta ſic conſiderata, apparens juſta propter præcedentem injuriam, quam ratio dictat eſſe vindicandam. Non tamen eſt verè, & ſimpliciter juſta, quia non ſervatur debitus ordo juſtitiæ, quia fortè aliquis quærit majorem vindictam, quam debeat: vel quia quærit ſe vindicare ſua authoritate, cum hoc ei non liceat, vel quia quærit vindictam non debito fine; & ideò Phil. dicit in 7. Eth. quod iratus incipit quidem audire rationem, prout ſcilicet judicat eſſe injuriam vindicandam: non tamen perfectè audit eam, quia non attendit, ut ſequatur rectum ordinem vindictæ, ſecundum quòd ratio dictat. Unde comparat iram miniſtris

Digitized by Google

feſtinantibus exceptis mandatum, antequam totum audiant, propter hoc offendunt; *Hæc ibi, quibus ſi applicaſſent præmiſſæ ſententiæ addicti, ei nullatenus adhæſiſſent.*

XXXIV.

Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne Puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.

OP. *S. D. in 4. diſt. 31. in expoſ. Text. ait ad ea verba*: Solet quæri cum maſculus, &c. Quia vero venena, &c. Hoc peccatum quamvis ſit grave, & inter maleficia computandum, & contra naturam quia etiam beſtiæ fœtus expectant, tamen eſt minus, quam homicidium, quia adhuc poterat alio modo impediri conceptus, nec eſt judicandus talis irregularis, niſi jam formato puerperio aborſum procurret, ergo jam de reitate criminis conſtat, & ſubdit S. D. ad ea verba, quæ ſubſequuntur immediate, *& poſtquam vertet uxoris*, *&c.* Quamvis enim matrix poſt impregnationem claudatur, tamen ex delectatione, ut Avic. dicit, movetur, & aperitur, & ex hoc imminet periculum aborſus, & ideò Hier. vituperat acceſſum viri ad uxorem impregnatam, non tamen ita, quod ſemper ſit peccatum mortale, niſi forte quando probabiliter timetur de periculo aborſus. *Si ergo* per D. Hieron. grave crimen imputatur homini ad uxorem accedenti, cum periculo aborſus, tanto magis grave fuerit, ſi voluntarie, & ex propoſito malitioſè procuretur.

Neque obſtat motivum adductum, quod nempe puella non infametur, aut deprehenſa gravida occidatur. Nam S. D. 2.2. q. 126. a. 4. in c. Si aliquis per timorem fugiens mala, quę ſecundum rationem ſunt minus fugienda, incurrat mala, quæ ſecundum rationem ſunt magis fugienda, non poteſt totaliter à peccato excuſari, quia timor talis inordinatus eſſet. Sunt autem magis timenda mala animæ, quam mala corporis, Corporis autem magis, quam mala exteriorum rerum. Et ideò ſi quis incurrat mala animæ, i. peccata, fugiens mala corporis, puta flagella, vel mortem, aut mala exteriorum rerum, puta damnum pecuniæ, aut ſi ſuſtineat mala corporis, ut vitet damnum pecunię, non excuſatur totaliter à peccato. Ut autem oſtendat quanta ſit hujus peccati gravitas, ad 1. ait dicendum, quòd timor non excuſat ex parte; quia eſt peccatum, ſed ex parte, qua eſt involuntarium. *Si ergo mors non eſt fugienda, ne juſtitia Dei deſeratur, multo minus infamia evitanda id permittet cum de ea, etiam dicat S. D. in 4. diſt. 29. qu. 1. ar. 2.* ad 3. dicendum, quòd infa-

infamia, quamvis ſit magnum damnum, tamen ei de facili occurri poteſt, & ideò non reputatur cadens in conſtantem virum metus infamiæ ſecundum jura. *Et ſic multo minus poterit eſſe juſtum motivum procurandi aborſum, ſi homo debeat mala experiri etiam urgente infamia, ne divinam deſerat juſtitiam.*

XXXV.

Videtur probabile omnem fętum quandiù in utero eſt carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere cum paritur; ac conſequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

OPponit S. D. in 3. di. 3. q. 5. a. 2. in corp. Oportet, ut conceptio in Chriſto non præcedat tempore completam naturam carnis ejus, & ita relinquitur, &c. In aliis autem hæc ſucceſſivè contingunt, ita quod maris conceptio non perficitur, niſi uſque ad quadrageſimum diem, ut Phil. in lib. de animal. dicit; fęminæ autem uſque ad nonageſimum: ſed in completione corporis maſculi, videtur Auguſtinus ſuperaddere ſex dies, qui ſic diſtinguuntur ſecundum eum in Epiſtola ad Hier. Semen primis ſex diebus, quaſi lactis habet ſimilitudinem, novem diebus vertitur in ſanguinem: deindè duodecim diebus ſolidatur: decem, & octo diebus formatur, uſque ad perfecta membrorum lineamenta: & hinc jam reliquo tempore uſque ad tempus partus magnitudine augetur: *Unde*:

Verſus.

Sex in lacte dies, ter ſunt in Sanguine terni
Biſseni carnem, Ter ſeni membra figurant.

In Chriſti autem conceptione materia, quam Virgo miniſtravit, ſtatim formam, & figuram humani corporis accepit, & animam, & unitatem Divinæ Perſonæ aſſumpta eſt. *Atqui in conceptione puri hominis, hæc ſola intervenit differentia reſpectu animationis, quod ubi illa fuit facta in momento, quo Virgo conſenſum exhibuit, hæc autem ſtatuto tempore: igitur animatio non differtur uſque ad tempus partus, ut prætendit ex ſola imaginatione præmiſſa propoſitio.*

Digitized by Google

feſtinantibus exceptis mandatum, antequam totum audiant, propter hoc offendunt; *Hæc ibi, quibus ſi applicaſſent præmiſſæ ſententiæ addicti, ei nullatenus adhæſiſſent.*

XXXIV.

Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne Puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.

O P. S. D. in 4. *diſt.* 31. *in expoſ. Text. ait ad ea verba*. Solet quæri cum maſculus, &c. Quia vero venena, &c. Hoc peccatum quamvis ſit grave, & inter maleficia computandum, & contra naturam quia etiam beſtiæ fœtus expectant, tamen eſt minus, quam homicidium, quia adhuc poterat alio modo impediri conceptus, nec eſt judicandus talis irregularis, niſi jam formato puerperio aborſum procurret, ergo jam de reitate criminis conſtat, & ſubdit S. D. ad ea verba, quæ ſubſequuntur immediate, *& poſtquam vertet uxoris, &c.* Quamvis enim matrix poſt impregnationem claudatur, tamen ex delectatione, ut Avic. dicit, movetur, & aperitur, & ex hoc imminet periculum aborſus, & ideò Hier. vituperat acceſſum viri ad uxorem impregnatam, non tamen ita, quod ſemper ſit peccatum mortale, niſi forte quando probabiliter timetur de periculo aborſus. *Si ergo* per D. Hieron. grave crimen imputatur homini ad uxorem accedenti, cum periculo aborſus, tanto magis grave fuerit, ſi voluntarie, & ex propoſito malitioſè procuretur.

Neque obſtat motivum adductum, quod nempe puella non infametur, aut deprehenſa gravida occidatur. Nam S. D. 2.2. q. 126. a. 4. in c. Si aliquis per timorem fugiens mala, quę ſecundum rationem ſunt minus fugienda, incurrat mala, quæ ſecundum rationem ſunt magis fugienda, non poteſt totaliter à peccato excuſari, quia timor talis inordinatus eſſet. Sunt autem magis timenda mala animæ, quam mala corporis, Corporis autem magis, quam mala exteriorum rerum. Et ideò ſi quis incurrat mala animæ, i. peccata, fugiens mala corporis, puta flagella, vel mortem, aut mala exteriorum rerum, puta damnum pecuniæ, aut ſi ſuſtineat mala corporis, ut vitet damnum pecunię, non excuſatur totaliter à peccato. Ut autem oſtendat quanta ſit hujus peccati gravitas, ad 1. ait dicendum, quòd timor non excuſat ex parte; quia eſt peccatum, ſed ex parte, qua eſt involuntarium. *Si ergo mors non eſt fugienda, ne juſtitia Dei deſeratur, multo minus infamia evitanda id permittet cum* de ea, *etiam dicat S. D. in 4. diſt. 29. qu. 1. ar. 2.* ad 3. dicendum, quòd infa-

infamia, quamvis ſit magnum damnum, tamen ei de facili occurri poteſt, & ideò non reputatur cadens in conſtantem virum metus infamiæ ſecundum jura. *Et ſic multo minus poterit eſſe juſtum motivum procurandi aborſum, ſi homo debeat mala experiri etiam urgente infamia, ne divinam deſerat juſtitiam.*

XXXV.

Videtur probabile omnem fœtum quandiù in utero eſt carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere cum paritur; ac conſequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

OPponit S. D. in 3. di. 3. q. 5. a. 2. in corp. Oportet, ut conceptio in Chriſto non præcedat tempore completam naturam carnis ejus, & ita relinquitur, &c. In aliis autem hæc ſucceſſivè contingunt, ita quod maris conceptio non perficitur, niſi uſque ad quadrageſimum diem, ut Phil. in lib. de animal. dicit; fœminæ autem uſque ad nonageſimum: ſed in completione corporis maſculi, videtur Auguſtinus ſuperaddere ſex dies, qui ſic diſtinguuntur ſecundum eum in Epiſtola ad Hier. Semen primis ſex diebus, quaſi lactis habet ſimilitudinem, novem diebus vertitur in ſanguinem: deindè duodecim diebus ſolidatur: decem, & octo diebus formatur, uſque ad perfecta membrorum lineamenta: & hinc jam reliquo tempore uſque ad tempus partus magnitudine augetur: *Unde*:

Verſus.

Sex in lacte dies, ter ſunt in Sanguine terni
Biſseni carnem, Ter ſeni membra figurant.

In Chriſti autem conceptione materia, quam Virgo miniſtravit, ſtatim formam, & figuram humani corporis accepit, & animam, & unitatem Divinæ Perſonæ aſſumpta eſt. *Atqui in conceptione puri hominis, hæc ſola intervenit differentia reſpectu animationis, quod ubi illa fuit facta in momento, quo Virgo conſenſum exhibuit, hæc autem ſtatuto tempore: igitur animatio non differtur uſque ad tempus partus, ut prætendit ex ſola imaginatione præmiſſa propoſitio.*

Digitized by Google

XXXVI.

Permiſſum eſt furari, non ſolum in extremâ neceſſitate, ſed etiam in gravi.

OPponit S. D. 2. 2. q. 66. a. 7. ad 1. dicendum, quòd decretalis illa loquitur in caſu, in quo non eſt urgens neceſſitas: Decretalis autem habetur extra de furtis. Ubi dicitur. Si quis per neceſſitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, veſtem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres: *igitur non licet furari propter neceſſitatem gravem: ſed ſolum per urgentem; i. extremam, in quo caſu eccleſia pœnitentiam non ſtatuit.*

XXXVII.

Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.

OPponit S. D. 2. 2. q. 59. a. 4. in C. Reſpondeo dicendum, quòd ſicut ſuprà dictum eſt, cum de differentia peccatorum ageretur peccatum mortale eſt, quod contrariatur charitati, per quam eſt animæ vita; omne autem nocumentum alteri illarum ex ſe charitati repugnat, quæ movet ad volendum bonum alterius, & ideò cum injuſtitia ſemper conſiſtat in nocumento alterius, manifeſtum eſt, quod facere injuſtum ex genere ſuo eſt peccatum mortale: *Atqui rem Domini ſurripientes, injuſtum faciunt; neque opera exhibita, exiſtimata major, tollit hanc injuriam, igitur non licèt adimplere, quod permittit præmiſſa propoſitio, quod clarius oſtendit. S. D. 1. 2. qu.* 114. *a.* 1. *in C.* Reſpondeo dicendum, quod meritum, & merces ad idem referuntur, id enim merces dicitur, quod alicui recompenſatur pro retributione operis, vel laboris, quaſi quoddam prætium ipſius. Unde ſicut reddere juſtum precium pro re accepta ab aliquo, eſt actus juſtitiæ: ita etiam recompanſare mercedem operis, vel laboris eſt actus juſtitiæ: juſtitia autem æqualitas quædam eſt, ut patet per Phil. 5. Eth. & ideò ſimpliciter eſt juſtitia inter eos, quorum eſt ſimpliciter æqualitas: eorum verò, quod non eſt ſimpliciter æqualitas non eſt ſimpliciter injuſtitia, ſed quidam juſtitiæ modus poteſt eſſe, ſicut dicitur, quoddam jus paternum, ſive dominativum, ut in eodem lib. Phil. dicit, & propter hoc in his, in quibus eſt ſimpliciter juſtum, eſt etiam ſimpliciter ratio meriti, & mercedis, in quibus

autem

Digitized by Google

autem eſt ſecundum quid juſtum, & non ſimpliciter, in his etiam non eſt ſimpliciter ratio meriti, ſed ſecundum quid, in quantum ſalvatur ibi juſtitiæ ratio. Sic enim & filius meretur aliquid à patre, & ſervus à Domino.

His autem præmiſſis, ut appareat, quantum juris poſſideat ſervus reſpectivè ad res Domini, ſubdit S. D. in 3. di. 18. qu. 1. a. 2. in C. Ad hoc igitur, quod aliquis mereatur, tria neceſſaria ſunt. Scilicet agens, qui meretur, actio per quam meretur, & merces, quam meretur, & ideò ad meritum tria requiruntur. Primum eſt ſecundum comparationem merentis ad mercedem, ut ſcilicet ille, qui meretur, ſit in ſtatu aquirendi mercedem, & propter hoc illi, qui ſunt omninò in termino, nihil merentur, quia nihil aquirere poſſunt. Secundum eſt ex comparatione agentis ad actionem, ut ſcilicet ſit Dominus ſuæ actionis, alias per actionem ſuam non dignificatur ad aliquid habendum, nec laudatur. Et ideò ea, quę agunt, per neceſſitatem naturæ, vel etiam perviolentiam non merentur. Tertium eſt ſecundum proportionem agentis ad mercedem, ut ſ. æquiparetur mercedi, non quidem ſecundum æqualitatem quantitatis, quia hoc requiritur in juſtitia commutativa, quę conſiſtit in emptionibus, & venditionibus, ſed ſecundum æqualitatem proportionis, quæ requiritur in juſtitia diſtributiva. *Atqui famuli, & famulæ jam ſunt in termino ſui arbitrii Domino obligati, neque amplius ſunt Domini ſuæ actionis: & alias recompenſando ſibi labores, quos putant majores, id reducerent ad juſtitiam commutativam tantùm, pro labore recompenſando: quod neutiquam permittitur, ut in litera, cum reliquis patet, igitur corruit præmiſſa doctrina.*

Præterquamquod ut ait S. D. 2. 2. q. 66. a. 3. in C. Competit furto, quod ſit circa rem poſſeſſam, & occulta acceptio rei alienæ: *atqui* jam in occulto, id faciunt famuli, & famulæ, præmiſſam ſententiam practicantes, & auferunt rem de, qua Dominus habet certum dominium, ergo non juſte talis res poſſidebitur à famulis, vel famulabatur ratione dubii, & opinabilis juris, ſi de illa eſt apud Dominum indubitata poſſeſſio, cum dicat etiam S. D. 2. 2. q. 57. art. 2. in c. alio modo aliquid eſt adequatum, vel commenſuratum alteri ex condicto, ſive ex communi placito, quando ſcilicet aliquis reputat ſe contentum, ſi tantum recipiat, quid clarius? *Atqui recompenſatio major invito Domino fieri nequit, nam docet S. D. 2. 2. qu. 61. articul. 3. in corp.* quòd voluntarię mutationes dicuntur, quando aliquis voluntariè transfert rem ſuam in alterum: *igitur ignorante Domino, nonniſi contra juſtitiam, & eo invito injuſte fe-*

ret

ret talis recompenſatio expoliando ipſum eo , ad quod jus habet , & communiter contra ſuam voluntatem , illud captando , hæc præponenda venit.

XXXVIII.

Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere , quod ablatum eſt per pauca furta , quantumcumque ſit magna ſumma totalis.

OPponit S. D. 2. 2. q. 77. ar. 2. in c. Reſpondeo dicendum , quòd circa rem , quæ venditur triplex defectus conſiderari poteſt . Unus , &c. Alius autem defectus eſt ſecundum quantitatem , quę per menſuram cognoſcitur , & ideò ſi quis ſcienter utatur deficienti menſura in vendendo , fraudem committit , & eſt illicita venditio . Unde dicitur Deut. 25. Non habebis in ſacculo diverſa pondera majus , & minus , nec erit in domo tua modius major , & minor , & poſtea ſubditur : abominabitur enim Dominus eum , qui facit hęc , & adverſatur omnem injuſtitiam , & ibidem Sol. ad 2. ait , dicendum , quòd menſuras rerum venalium neceſſe eſt , in diverſis locis eſſe diverſas propter diverſitatem copiæ , & inopiæ rerum , quia ubi res magis abundat , conſueverunt eſſe majores menſuræ . In unoquoque tamen loco ad rectores civitatis pertinet determinare , quę ſint juſtę menſuræ rerum venalium penſatis conditionibus locorum , & rerum , & ideò has menſuras publica authoritate , vel conſuetudine inſtitutas præterire non licet . *Atqui ſi aliquis furatur paulatim in magna quantitate (quod pluries contingere ſolet in venditione) poterit etiam in maxima , nam dato primo , ſecundum etiam non repugnat , cauti ergo debent eſſe vendentes , ne minutatim ad tantam ſummam aſcendant , quæ gravitate penſetur . Neve menſuras vendibilium à judice , vel rectore taxatas , prætereant .*

Neque aliquid ſuffragat , quod lex humana permittat inæqualitatem in emptione , & venditione , nam , ut ait S. D. loco citat. articul. primo ad 1. dicendum , quòd , ſicut ſupra dictum eſt lex humana populo datur , in quo ſunt multi à virtute deficientes ; non autem datur ſolum virtuoſis , & ideò lex humana non potuit prohibere quidquid eſt contra virtutem , ſed ei ſufficit , ut prohibeat ea , quæ deſtruunt hominum convictum , alia verò habeat quaſi licita , non quia ea , approbet , ſed quia non punit . Sic ergo habet quaſi licitum pœnam non inducens , ſi abſque fraude venditor rem ſuam ſupervendat , aut emptor vilius emat , niſi ſit nimius exceſſus : quia tunc etiam lex humana cogit ad reſtituendum ,

dum, puta ſi aliquis ſit deceptus ultra dimidiam juſti prætii quantitatem. Sed lex divina nihil impunitum relinquit, quod ſit virtuti contrarium: Unde ſecundum Divinam legem illicitum reputatur, ſi in emptione, & venditione non ſit ęqualitas juſtitiæ obſervata: & tenetur ille, qui plus habet, recompenſare ei, qui damnificatus eſt, ſi ſit notabile damnum; *Atqui notabile damnum occurrit in caſu noſtro, ipſi communitati ementium, & alias hæc minuta furta regulariter contingunt in emptione, & venditione, igitur præmiſſa reſtitutio, etiam in conſimilibus eſt exercenda caſibus.*

XXXIX.

Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.

OPponit S. D. 2. 2. q. 62. articul. 7. in c. Reſpondeo dicendum, quòd, ſicut dictum eſt, ad reſtitutionem tenetur aliquis non ſolum ratione rei alienæ, quam accipit, ſed etiam ratione injurioſæ acceptionis, & ideò quicumque eſt cauſa injuſtæ acceptionis tenetur ad reſtitutionem, quod quidem contingit dupliciter directè, ſcilicet & indirectè; Directè quidem quandò inducit alium ad accipiendum, & hoc quidem tripliciter, Primo quidem modo movendo ad ipſam acceptionem, quod quidem fit, præcipiendo, conſulendo, conſentiendo expreſsè, & laudando aliquem, quaſi ſtrenuum de hoc, quod aliena accepit; *Ex quibus evidenter convincitur falſitas præmiſſæ propoſitionis.*

XL.

Contractus Mohatra ſtocco licitus eſt, etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis præviè inito, cùm intentione lucri.

OPponit S. D. 2. 2. q. 77. art. 1. in c. Reſpondeo dicendum, quòd fraudem adhibere ad hoc, quod aliquid plus juſto pretio vendatur, omninò peccatum eſt, inquantum aliquis decipit proximum in damnum ipſius: Unde & Tullius dicit in lib. de Offic. Tollendum eſt igitur in rebus contrahendis omne mendacium, non licitatorem venditor, nec qui contra ſe licitetur emptor apponet. Si autem fraus deficit tunc de emptione, & venditione dupliciter loqui poſſumus. Uno modo, &c. Alio modo poſſumus loqui de emptione, & venditione, ſecundum quòd per accidens cedit in utilitatem unius,

nius, & detrimentum alterius, puta cum aliquis multum indiget habere rem aliquam, & alius lædatur, ſi ea careat: & in tali caſu juſtum prætium erit, ut non ſolum reſpiciatur ad rem, quæ venditur, ſed ad damnum, quod venditor ex venditione incurrit; & ſic licitè poterit aliquid vendi, pluſquam valeat ſecundum ſe, quamvis non vendatur pluſquam valeat habenti. Si verò aliquis multum juvetur ex re alterius, quam accepit, ille vero, qui vendit, non damnificatur carendo re illa, non debet eam ſupervendere: quia utilitas, quę alteri accreſcit, non eſt ex venditione, ſed ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere alteri, quod non eſt ſuum, licèt poſſit ei vendere damnum, quod patitur: ille autem, qui ex re alterius accepta multum juvatur, poteſt propria ſponte aliquid vendenti ſupererogare, quod pertinet ad hujus honeſtatem, *atqui in prædicto contractu præter juſtitiam, ne dum honeſtatem, & ne dum expectatur, ſed ſtatim exigitur, abſque titulo damni alicujus, igitur radicitus evertitur doctrina præmiſſæ propoſitionis.*

XLI.

Cum numerata pecunia prætioſior ſit numeranda, & nullus ſit qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, poteſt creditor aliquid ultrà ſortem à mutuario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.

OPponit S. D. 2. 2. q. 78. a. 1. in C. Reſpondeo dicendum, quòd accipere uſuram pro pecunia mutuata eſt ſecundum ſe injuſtum, quia venditur id, quod non eſt, per quod manifeſtè inæqualitas conſtituitur, quæ juſtitiæ contrariatur: Ad cujus evidentiam ſciendum eſt, quod quædam res ſunt, quorum uſus eſt ipſarum rerum conſumptio, ſicut vinum conſumimus, eo utendo ad potum, & triticum conſumimus eo utendo ad cibum: Unde in talibus non debet ſeorſum computari uſus rei à re ipſa, ſed cuicumque conceditur uſus, ex hoc ipſo concedit res; & propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium: Si quis ergo ſeorſum vellet vendere vinum, & vellet ſeorſum vendere uſum vini, venderet eandem rem bis, vel venderet id, quod non eſt; Unde manifeſtè per injuſtitiam peccaret: Et ſimili ratione, &c. Pecunia autem ſecundum Phil. in 5. Eth. & in 1. Polit. principaliter eſt inventa ad commutationes faciendas: & ita proprius, & principalis uſus eſt ipſius conſumptio, ſive diſtractio ſecundum quod in commutationes expenditur; & propter hoc ſecundum ſe eſt illicitum pro uſu pecuniæ mutuatæ

Digitized by Google

accipere pretium, quod dicitur uſura; *Nec valet dicere, quod pecunia numerata ſit pretioſior numeranda; nam S. D.* hic a. 2. ad 4. dicendum, quod pecunia non poteſt vendi pro pecunia ampliori, quam ſit quantitas pecuniæ mutuatæ, quæ reſtituenda eſt; *Unde omninò deficit præmiſſa ſententia.*

XLII.

Uſura non eſt dum ultra ſortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolùm ſi exigatur, tanquam ex juſtitia debitum.

OPponit S. D. 2. 2. q. 78. a. 2. in C. Reſpondeo dicendum, quòd ſecundum Phil. in 4. Eth. Omne illud pro pecunia habetur cujus prætium poteſt pecunia menſurari: & ideò ſicut ſi aliquis pro pecunia mutuata, vel quacumque alia re, quæ ex ipſo uſu conſummitur, pecuniam accipit ex pacto tacito, vel expreſſo, peccat contra juſtitiam, ut dictum eſt: ita etiam quicumque ex pacto tacito, vel expreſſo quodcumque aliud acceperit, cujus pretium pecunia menſurari poteſt, ſimile peccatum incurrit. Si verò accipiat aliquod hujuſmodi non quaſi (nota) exigens, nec quaſi ex aliqua obligatione tacita, vel expreſſa, ſed, ſicut gratuitum, donum non peccat, quia etiam antequam pecuniam mutuaſſet, licitè poterat aliquod donum gratis accipere, nec pejoris conditionis efficitur per hoc, quod mutuavit. *Atqui in præfata propoſitione dicitur, quod licet ultra ſortem aliquid exigere, & alias ly exigere eſt anguis latens, quia prout ſic efficitur tacita obligatio, quæ deſtruit ſimpliciter titulum benevolentiæ, & gratitudinis, igitur per optimè proſcripta remanet præmiſſa propoſitio.*

XLIII.

Quid ni nonniſi veniale ſit detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere?

OP. S. D. 2. 2. q. 79. art. 1. ad 2. dicendum, quòd declinare à malo, ſecundum quod ponitur pars juſtitiæ non importat negationem puram, quod eſt non facere malum, hoc enim non meretur palmam, ſed ſolum vitat pœnam. Importat autem motum voluntatis repudiantis malum: ut ipſum nomen declinationis oſtendit, & hoc eſt meritorium, præcipuè, quando aliquis impugnatur, ut malum faciat, & reſiſtit. *Atqui contra juſtitiam in re gravi deficiens, graviter peccat, igitur præmiſſa opinio cadit.*

Digitized by Google

XLIV.

Probabile eſt non pcccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat. Etſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

OPponit S. D. 2.2. quæſt. 68. arti. 3. in c. Reſpondeo dicendum; quòd, ſicut ſuprà dictum eſt, accuſatio ordinatur ad bonum commune, quòd intenditur per cognitionem criminis: nullus autem debet nocere alicui injuſte, ut bonum commune promoveat, & ideò in accuſatione, duplici ratione contingit eſſe peccatum. Uno modo ex eo, quod aliquis injuſte agit contra eum, qui accuſatur, crimina falſa ei imponendo, quod eſt calumniari. Alio modo ex parte reipublicę, cujus bonum principaliter intenditur in accuſatione, dum aliquis impedit malitioſe punitionem peccati. Quod iterum dupliciter contingit. Uno modo fraudem in accuſatione adhibendo, & hoc pertinet ad prævaricationem, nam prævaricator dicitur, quaſi varicator, qui adverſam partem adjuvat prodita cauſa ſua. Alio modo totaliter ab accuſatione deſiſtendo, quod eſt tergiverſari. In hoc enim, quòd deſiſtit ab hoc, quod cęperat, quaſi tergum vertere videtur. *Ex quibus*, ſi non licet falſum crimen imponere alicui, neque fraudolenter in hoc ſe gerere ob bonum commune, multo minus ob particulare. *Ad id autem, quod ſubditur de probabilitate ſupra alias propoſitiones Teologicas opponit S. D. quol. 3. ar. 10. in c.* dicendum, quòd diverſæ opiniones doctorum Sacrę Scripturæ, ſi quędam non pertineant ad fidem, & bonos mores, abſque periculo auditores utramque opinionem ſequi poſſunt. Tunc enim habet locum, quod Apoſtolus dicit ad Ro. 14. unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. In his verò quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excuſatur ſi ſequatur erroneam opinionem alicujus magiſtri, in talibus enim ignorantia non excuſat, alioquin immunes à pecato non fuiſſent, qui ſequuti ſunt opinionem Arrii, Neſtorii, & aliorum hæreticorum. Nec poteſt excuſationem habere propter ſimplicitatem auditorum, ſi in talibus opinionem erroneam ſequantur, in rebus enim dubiis non eſt de facili pręſtandus aſſenſus. Qui ergo aſſentit opinioni alicujus miniſtri contra manifeſtum ſcripturæ Teſtimonium, ſive contra id, quod publice tenetur ſecundum Eccleſiæ authoritatem, non poteſt ab erroris vitio excuſari, *quæ verba merito hìc ſunt applicanda.*

Dare

Digitized by Google

XLV.

Dare temporale pro Spirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tanquam prætium, ſed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra.

OPponit S. D. 2. 2. quæſt. 100. art. 1. ad 5. dicendum, quòd nomine emptionis, & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus. Unde nec permutatio præbendarum, vel Eccleſiaſticorum beneficiorum fieri poteſt authoritate partium, abſque periculo ſimoniæ, ſicut nec tranſactio, ut jura determinant, & ar. 4. ejuſdem quæſtionis ad 3. ait. Circa collationem vero beneficiorum ſciendum eſt, quod ſi Epiſcopus antequam beneficium alicui conferat, ob aliquam cauſam ordinaverit aliquid ſubtrahendum de fructibus beneficii conferendi, & in pios uſus expendendum non eſt illicitum. Si verò ab eo, cui beneficium confert requirat aliquid ſibi exhiberi defructibus illius beneficii, idem eſt, ac ſi aliquod munus ab eo exigeret, & non caret vitio ſimoniæ. *Atqui* exigere munus eſt illud exigere, ſub ratione gratuitæ compenſationis, igitur hoc neutiquam fieri poteſt, quod & in alio caſu damnat S. D. hic a. 5. ad 2. dicens. Si tamen aliquis dat beneficium Eccleſiaſticum alicui hoc pacto, vel interventione, ut exinde ſuis conſanguineis provideat, eſt manifeſta ſimonia: *Quæ quidem verba extendenda veniunt, etiamſi tantum debito gratitudinis exigerentur pro ipſis conſanguineis, & ſic deſtruitur præmiſſa propoſitio.*

XLVI.

Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale, imò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritualis.

OP. S. D. 2. 2. q. 100. art. 4. ad 1. dicendum, quòd omnia temporalia annectuntur ſpiritualibus, ſicut fini, & ideò ipſa quidem temporalia vendere licet, ſed ordo eorum ad ſpiritualia ſub venditione cadere non debet: *Ecce igitur quomodo ad literam opponitur lux ipſis tenebris, at nullatenus valeant ſubſiſtere in conſpectu illius.*

O 2 Cum

Digitized by Google

XLVII.

Cùm dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles, ipſi judicaverint ad Eccleſias promovent. Concilium, vel primò videtur per hoc digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum ſumpto comparativo, pro poſitivo; vel ſecundò locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò, quandò ſit concurſus.

OPponit S. D. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 3. Reſpondeo dicendum, quòd quantum ad hoc, quod electio impugnari non poſſit in foro judiciali, ſufficit eligere bonum; nec oportet eligere meliorem, quia ſic omnis electio poſſet habere calumniam. Sed quantum ad conſcientiam eligentis, neceſſe eſt eligere meliorem, vel ſimpliciter, vel in comparatione ad bonum commune, quia ſi poteſt haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius præferatur, oportet quod hoc ſit propter aliquam cauſam. Quæ quidem ſi pertineat ad negotium quantum ad hoc erit ille, qui eligitur magis idoneus: Si verò non pertineat ad negotium id, quod conſideratur, ut cauſa, erit manifeſtè acceptio perſonæ; *Et ſic ruit prima, & ſecunda extorta expoſitio, ſcilicet quantum verò ad tertiam de concurſu ait* S. D. 2. 2. q. 185. a. 3. in c. ex parte ejus, qui aſſumit, vel eligendo, vel providendo, requiritur, quod talem eligat, qui fideliter Divina myſteria diſpenſet, quæ quidem diſpenſari debent ad utilitatem Eccleſiæ ſecundum illud 1. Cor. 14. ad ædificationem Eccleſiæ quęrite, ut abundetis. Non autem divina miniſteria committuntur propter eorum remunerationem, quam expectare debent in futuro: & ideò ille, qui debet aliquem eligere in Epiſcopum, vel de eo providere non tenetur aſſumere meliorem ſimpliciter, quod eſt ſecundum charitatem, ſed meliorem quoad regimen Eccleſiæ, qui, ſ. poſſit Eccleſiam & inſtruere, & defendere, & pacificè gubernare: *& ſic etiam tertia interpretatio Concilii in nihilum redigitur.*

Tam

XLVIII.

Tam clarum videtur, fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi diſſonum videatur.

OPponit S. D. 2. 2. q. 154. ar. 2. in c. Reſpondeo dicendum, quòd abſque omni dubio tenendum eſt, quòd fornicatio ſimplex ſit peccatum mortale, non obſtante, quod Deut. 23. ſuper illud. Non erit meretrix, &c. dicit gloſ. ad eas prohibet accedere, quarum eſt venialis turpitudo. Non enim debet dici venialis, ſed venalis, quod eſt proprium meretricum. Ad hujus autem evidentiam conſiderandum eſt, quod peccatum mortale eſt omne peccatum, quòd committitur directè contra vitam hominis. Fornicatio autem ſimplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ ejus, qui eſt ex tali concubitu naſciturus. Videmus enim in omnibus animalibus, in quibus ad educationem prolis requiritur cura maris, & fęminæ, quòd in eis non eſt vagus concubitus, ſed maris ad certam fęminam, unam, vel plures, ſicut patet in omnibus avibus. Secus autem in animalibus, in quibus ſola fœmina ſufficit ad educationem fętus, in quibus eſt vagus concubitus, ut patet in canibus, & hujuſmodi aliis animalibus. Manifeſtum eſt autem, quod ad educationem hominis non ſolum requiritur cura matris, à qua nutritur, ſed multo magis cura patris, à quo eſt inſtruendus, & defendendus, & in bonis tam interioribus, quam exterioribus promovendus. Et ideò contra naturam hominis eſt, quòd utatur vago concubitu, ſed oportet, quod ſit maris ad determinatam fęminam, cum qua permaneat non per modicum tempus, ſed diu, vel etiam per totam vitam. Et inde eſt, quod naturaliter eſt maribus in ſpecie humana ſolicitudo de certitudine prolis, quia eis imminet educatio prolis: hæc autem certitudo tolleretur, ſi eſſet vagus concubitus. Hæc autem determinatio certæ fęminæ, matrimonium vocatur, & ideò dicitur eſſe de jure naturali. Sed quia concubitus ordinatur ad bonum commune totius humani generis, bona autem communia cadunt ſub determinatione legis, ut ſuprà habitum eſt, conſequens eſt, quod iſta conjunctio maris ad fęminam, quæ matrimonium dicitur, lege aliqua determinetur. Qualiter autem ſit apud nos determinatum, in tertia parte hujus operis dicetur, cum de matrimonii Sacramento tractabitur. Unde cum fornicatio ſit concubitus vagus, utpote præter matrimonium exi-

exiſtens, eſt contra bonum prolis educandæ, & ideò eſt peccatum mortale. Nec obſtat, ſi aliquis fornicando aliquam cognoſcens, ſufficienter provideat proli de educatione, quia id, quod cadit ſub legis determinatione, judicatur ſecundum id, quod communiter accidit, & non ſecundum id, quod in aliquo caſu poteſt accidere. *Ex quibus bene proſcribitur præmiſſa propoſitio.*

XLIX.

Mollities jure naturæ prohibita non eſt: undè ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquandò obligatoria ſub mortali.

OPponit S. D. 2. 2. q. 154. a. 12. ad 1. dicendum, quòd ſicut ordo rationis rectæ ab homine, ita ordo naturæ eſt ab ipſo Deo: & ideò in peccatis contra naturam, in quibus ipſe ordo naturæ violatur, fit injuria ipſi Deo ordinatori naturæ: *Atqui* mollities eſt contra naturam, igitur deſtruitur præmiſſum aſſumptum per ea, quæ docet S. D. in eadem qu. a. 10. in c. Reſpondeo dicendum, quòd, ſicut ſuprà dictum eſt, ibi eſt determinata luxuriæ ſpecies, ubi ſpecialis ratio deformitatis occurrit, quæ facit indecentem actum venereum; Quod quidem, &c. Alio modo, quia etiam ſuper hoc repugnat ipſi ordini naturali venerei actus, qui convenit humanæ ſpeciei, quod dicitur vitium contra naturam. Quod quidem poteſt pluribus modis contingere: Uno quidem modo, ſi abſque omni concubitu cauſa delectationis venereæ pollutio procuretur, quod pertinet ad peccatum immunditiæ, quam quidam mollitiem vocant. *Ad tollendum* autem motivum apparens, quo videtur licitum id perpetrare, ait S. D. 1. Ro. lect. 8. Quod ſecundum naturæ intentionem commixtio ſexuum in animalibus ordinatur ad actum generationis. Unde omnis commixtionis modus, ex quo generatio ſequi non poteſt, eſt contra naturam hominis, inquantum eſt animal. *Si ergo* hoc peccatum pugnat contra hominem in gradu generico conſideratum, impoſſibile eſt, quod ei aliquandò conveniat ratione gradus ſpecifici, ad quem peculiaris moralitas ſpectat; *igitur cum hoc peccatum ſit deterioris conditionis, ideſt ſpectans ad ea, quæ ſunt contra naturam, non aliquandò fuerit naturale ipſi homini, utroque gradu conſiderato.*

Copulæ

Digitized by Google

L.

Copula cum conjugata conſentiente marito non eſt adulterium, adeòque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.

OPponit S. D. 2. 2. q. 154. a. 8. in c. Reſpondeo dicendum, quòd adulterium, ſicut ipſum nomen ſonat eſt acceſſus ad alienum thorum, & in 4. di. 35. q. 1. a. 1. in c. excipiuntur ſeptem caſus, in quibus non licet viro uxorem dimittere fornicantem, in quibus vel uxor immunis à culpa eſt, vel utrique ſunt ęqualiter culpabiles. Primus eſt, ſi ipſe vir ſimiliter fornicatus fuerit. Secundus ſi ipſe uxorem proſtituerit. *Atqui* hoc in pęnam ei datur, ergo ob crimen proſtitutionis, quod in alia ſpecie collocari non poteſt, niſi in adulterio; nam, ut ait S. D. hic ſol. ad 1. dicendum, quòd ſi vir dimittat uxorem fornicantem livore vindictę peccat: ſi autem ad infamiam propriam cavendam, ne videatur particeps criminis, &c. *cum ergo* hoc crimen ſit adulterium, ſi ipſe eſſet particeps, multo magis crimen in eadem ſpecie gravaretur, nec ad minorem, nempe ad ſimplicem fornicationem poſſet transferri, ſicut clarè deducitur ex S. D. 2.2 qu. 154. ar. 7. in c. In adulterio dupliciter contra caſtitatem, & humanę generationis bonum aliquis delinquit, primo quidem, inquantum accedit ad mulierem non ſibi matrimonio copulatam, quod requiritur ad bonum prolis propriæ educandæ: alio modo, quia accedit ad mulierem alteri per matrimonium copulatam, & ſic impedit bonum prolis alienæ. Eadem ratio eſt de muliere conjungata, quæ per adulterium corrumpitur. Unde dicitur Eccl. 23. omnis mulier relinquens virum ſuum peccabit: primo enim in lege altiſſimi incredibilis fuit, in qua ſcilicet præcipitur: non mechaberis; ſecundo (Nota) in virum ſuum deliquit, ex quo facit contra certitudinem prolis. Tertio in adulterio fornicata eſt, & ex alio viro filios ſtatuit ſibi, quod eſt contra bonum propriæ prolis, ſed primum eſt commune in omnibus peccatis mortalibus, alia verò duo ſpecialiter pertinent ad deformitatem adulterii, *atqui* ſic eſt, quod etiamſi maritus conſentiat, adhuc remanet prolis incertitudo, etiam altero viro ad uxorem accedente, igitur idem quod prius, & quamvis talis incertitudo tollatur ex proprii viri abſtinentia, ſequitur tamen tertium à S. D. adductum nempe ex alio viro filios habere, quod eſt contra bonum propriæ prolis, quorum duorum alterum ſufficit ad ſimpliciter adulterium ſtatuendum, *igitur inaniter adducitur motivum conſentientis mariti, ut adulterina deformitas minuatur.*

Famu-

LI.

Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras, ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

OPponit S. D. 2.2. q. 104. art. 1. in quo quęrit ℣. unus homo teneatur alteri obedire in c. Reſpondeo dicendum, quòd ſicut actiones rerum naturalium procedunt ex potentiis naturalibus, ita etiam operationes humanæ procedunt ex humana voluntate, oportuit autem, &c. Movere autem per rationem, & voluntatem eſt præcipere. *Atqui* habens malum finem deficit etiam moraliter in mediis, ergo non præcipit per rationem, ſed præter rationem, & contra rationem, & ſicut deficit imperans, ita & qui exequitur, nam ut ait S. D. hic a. 2. in c. Reſpondeo dicendum, quòd omnia opera bona, quæ ſpecialem habent laudis rationem, ſpecialis virtus determinatur, hoc enim propriè convenit virtuti, ut opus bonum reddatur. Obedire autem ſuperiori debitum eſt ſecundum divinum ordinem rebus traditum, ut oſtenſum eſt, & per conſequens eſt bonum, cum bonum conſiſtat in modo ſpecie, & ordine, ut Aug. dicit in lib. de natur. boni: habet autem hic actus ſpecialem rationem laudis ex ſpeciali objecto; *atqui, objectum eſt de ſe malum, igitur omnino vitandum, etiam in mediorum exequutione, ne dum electione, nam, ut ſubdit S. D.* hic art. 4. ad 3. dicendum, quòd, etſi non ſemper teneatur homo velle, quod Deus vult, ſemper tamen tenetur velle, quod Deus vult eum velle: & hoc homini præcipuè innoteſcit per præceptum Divinum: & ideò tenetur homo in omnibus divinis præceptis obedire. *Atqui talia agere eſt contra Divinum præceptum, quia eſt exequutio media ad aliquid contra juſtitiam, & charitatem, igitur à ſimili peroptimè concludit S. D.* hic a. 5. ad 3. dicendum, quòd religioſi obedientiam profitentur, quantum ad Regularem converſationem, &c. Si autem etiam in aliis obedire voluerint hoc pertinebit ad cumulum perfectionis, dum tamen illa non ſint contra Deum, aut contra profeſſionem regulæ, quia talis obedientia eſſet illicita. Sic ergo poteſt triplex obedientia diſtingui, una ſufficiens ad ſalutem,

Digitized by Google

tem quæ ſcilicet obedit in his ad quæ obligatur. Alia perfecta quæ obedit in omnibus licitis, alia indiſcreta, quę etiam in illicitis obedit, *Qualis de facto eſt allata in præmiſſa propoſitione.*

LII.

Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.

OPponit S. D. 2.2. quæ. 122. arti. 4. ad 1. Ineſt homini naturalis inclinatio ad hoc, quod cuilibet rei neceſſariæ deputetur aliquod tempus, ſicut corporali refectioni, ſomno, & aliis hujuſmodi. Unde & Spirituali refectioni, qua mens hominis in Deo reficitur ſecundum dictamen naturalis rationis aliquod tempus deputat homo, & ſic hahere aliquod tempus deputatum ad vacandum divinis cadit ſub præcepto mortali. *Atqui Eccleſia determinavit feſta ut ait S. D. ibi ad 4. dicendum, quòd obſervantiæ diei Dominicæ in nova lege ſuccedit obſervantiæ ſabbathi, non ex vi præcepti legis, ſed ex coſtitutione Eccleſiæ, & conſuetudine populi Chriſtiani, quod autem ſit talis Eccleſiæ authoritas conſtituendi dies feſtos docet* S. D. in 4. d. 40. art. 4. ad 1. dicendum quòd Eccleſiæ præceptum habet eandem obligandi efficaciam, quam & præceptum Divinum; *Igitur omninò decidit prædicta propoſitio.*

LIII.

Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes imò quatuor ſimul à diverſis Celebrantibus audit.

OP. S. D. 3. p.q. 82. art. 2. ad 3. dicendum, quod Euchariſtia eſt Sacramentum unitatis Eccleſiæ, quæ attenditur ſecundum hoc, quod multi ſunt unum in Chriſto. *Atqui* in ſacrificio Miſſæ præcipuè attenditur Euchariſtia conſummanda, igitur, ut fideles ſe conforment ſacrificio, unitati ejuſdem inſiſtere debent. Item S. D. 2. 2. q. 87. ar. 1. in c. Reſpondeo dicendum, quod ſicut dictum eſt nomen oblationis commune eſt ad omnes res, quæ in cultum Dei exhibentur, ita quod ſi aliquod exhibetur in cultum Divinum, quaſi in aliquod ſacrum, quod inde fieri debeat conſummendum eſt, & oblatio eſt, & ſacrificium: Unde Ex. 25. dicitur offeres totam arietem in incenſum ſuper altare: *Atqui Miſſæ* ſacrificium Deo à fideli oblatum figuratur in toto, & integro illo ariete: omne enim ſacrificium eſt oblatio, ut dicit *S. D. 2. 2. q. 86. ar. 3. ad 3. ergo ſicut il-*

Digitized by Google

lud erat ſimplex in ſui conſtitutione, nec ex plurium partibus compactus, ita neque Miſſæ ſacrificium, Deo à fideli ablatum: Tanto magis, quod ut ait S. D. 3. p. q. 82. art. 1. *ad* 2. dicendum bonus laicus juſtus unitus eſt Chriſto unione ſpirituali per fidem, & charitatem, non autem per Sacramentalem poteſtatem, & ideò habet ſpirituale Sacerdotium ad offerendum ſpirituales hoſtias, de quibus dicitur in Pſ. 50. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, & Rom. 12. exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, *ſuper quo loco S. D.* etiam ait, eſt autem conſiderandum, quod hoſtia, quæ Deo immolabatur: quatuor habebat, primo namque ipſa oblatio debebat eſſe integra, & incorrupta, *atqui illa hoſtia Deo oblata per laicum fungentem officio ſpiritualis Sacerdotis integra non eſſet, igitur coram Deo nulla: Tum vel maximè id apparet, quia diverſas ſimul Miſsæ partes audire injuriam facit, ut ſubvertit modum, & myſteriorum ordinem, quo tantum peragi ſacrificium omnino eſt neceſſe: ſicut evidenter apparet ex toto S. D. Op. 66. ubi diſertè, ac eleganter ſingulæ Miſſæ partes examini ſubduntur, in quibus non ſemel myſtica referentia exhibetur ad prius, & poſterius, attenta hominis conditione, & ejuſdem ſanctificatione, peregrinatione, & futura gloriæ ſperata fruitione: Tum etiam quia ſic complicatam audiens Miſſam, debet ſe applicare ad unum ſimul, & alterum Sacerdotem auſcultandum, atqui id implicat adimplere ſicut opportet, & cum requiſita attentione, igitur idem quod prius, nam ut ait S. D. in p. contra Gent. c.* 55. Intellectus noſter plura ſimul actui intelligere non poteſt, quia cum intellectus in actu, fit intellectum actu, ſi plura ſimul actu intelligeret ſequeretur, quod intellectus ſimul eſſet plura ſecundum genus ſuum, quod eſt impoſſibile. *Tum tandem quia præceptum eo modo rationabiliter debet obſervari à particularibus, ſicut à capite, tanquam exemplari origine, ab ipſo nempe præcepti conditore, ut docet S. D. p. 2. q. 90. ar. 3. in c. ubi dicit*, quod condere legem, vel pertinet ad totam multitudinem, vel pertinet ad perſonam publicam, quæ totius multitudinis curam habet, *& ibid. ad* 1. *ait* dicendum, quod, ſicut ſuprà dictum eſt, lex eſt in aliquo non ſolum ſicut in regulante, ſed etiam participative ſicut in regulato, & hoc modo unuſquiſque ſibi eſt lex, inquantum participat ordinem alicujus regulantis, *unde & ibidem ſubditur*. Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis: *Si ergo aliquando ita indebitè Summus Pontifex Miſſam audivit, licebit & ipſis ſubditis? Et modo poſt declarationem, nulli debet eſſe dubium eſſe obſervandum Miſſæ præceptum, cum auditione integræ Miſſæ, integritate per ſe, & in par-*

partium ſucceſſione conſiſtente: nam ut ſubjungit S. D. p. 2. q. 91. art. 4. in c. Reſpondeo dicendum, quòd, ſicut dictum eſt lex imponitur aliis per modum regulæ, & menſuræ, regula autem, & menſura imponitur per hoc, quod applicetur, *& infrà*: talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipſa promulgatione. *Per quæ undequaque apparet quanta proceſserit injuſtitia erga Deum, qui præmiſsa diſpoſuit à fidelibus ſine crimine, obſervanda.*

LIV.

Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem.

OP. S. D. Op. 65. c. 1. ubi de horis Canonicis ait. Divina quidem Officia in ſeptem horas Canonicas diſtingunntur, ſ. Matutinum, Primam, Tertiam, ſextam, Nonam, Veſperas, & Completorium. *Et infrà* ad has ſeptem horas tenetur Sacerdos, & alii conſtituti in Sacris ordinibus, ſive habeant beneficium, ſive non, & omnes illi, qui percipiunt Eccleſiaſtica ſtipendia in quocumque ordine ſint de poſ. c. 1. & ad Heb. 2. *igitur ex his clarè conſtat prædictam propoſitionem damnatam eſse, non ſolum relativè ad beneficiatos, & præbendatos, ſed etiam ad quoſcumque, & quomodocumque Sacris ordinibus initiatos.*

Ut autem illius falſitas appareat docet S. D. in diſp. q. 18. de conſcientia ar. 5. ad 1. dicendum, quòd ille qui vovit obedientiam tenetur obedire in his ad, quæ bonum obedientiæ ſe extendit, nec ab iſta obligatione abſolvitur per errorem conſcientiæ: *Sicut igitur inane eſset, quod quis non potens prædicare, nolet etiam obedire ob id prælato in adeundo choro v. g. vel aliquo alio inferiori officio adimplendo, eo quod ex infirmitate ad majus non poſſit; Nam ut ſubdit S. D. ibidem*, obligatio illa, quæ eſt ad prælatum ſolvi non poteſt: *idem ergo dicendum venit de Divino officio, non enim excuſationem aliquam habere poteſt Sacerdos de ſua erronea conſcientia in hoc, quia, ut ait ibidem S. D. art.* 3. ad 4. dicendum, quod tunc conſcientia erronea non ſufficit ad abſolvendum, quando in ipſo errore peccat: ut quando errat circa ea, quæ ſcire tenetur, & iterum ibidem in c. ait, unde nullus ligatur per præceptum aliquod, niſi mediante ſcientia illius præcepti: *atqui Sacerdos um ſcit ſuam obligationem, ſe extendere ad totum Officium dicendum, igitur contra ſynderesim agit ceſsando à recitatione par-*

Digitized by Google

tis, ſi totum nequeat, hoc enim inſuper docet S. D. ibidem a. 1. *ad* 1. Vel poteſt dici, quod tota vis conſcientiæ examinantis, vel conſiliantis ex judicio ſynderefis pendet: ſicut tota veritas rationis ſpeculativæ pendet ex principiis primis. *Atqui in primis principiis particulares concluſiones includuntur, ſub eorum lumine, igitur, & pars officii recitanda, ex vi ſynderefis contenta in obligatione totius.*

Item S. D. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 4. *in c.* dicendum, quòd idem non poteſt eſſe cauſa dandi, & recipiendi, ſicut nec cauſa agendi, & patiendi: atqui ut ibi ſubdit, Clericis inquantum ſunt miniſtri altaris ſpiritualia populo ſeminantes, decimæ à fidelibus debentur, *igitur ipſi in nullo caſu erunt obligati decimas dare, ſi in principaliori ratione decimarum ſolvendarum, jam ſunt immunes: & tamen contrarium docet S. D. ibidem* dicens unde patet reſponſio ad primum, quia clerici de propriis prædiis tenentur ſolvere decimas Parrochiali Eccleſiæ, ſicut & alii, etiamſi ipſi ſint ejuſdem Eccleſiæ clerici; *Ex quibus conclude pariter pro re præſenti.*

Et magis ad rem S. D. in 4. *d.* 15. *q.* 4. *art.* 1. *quæſtiunc.* 3. *in c.* ad 3. quæſt. dicendum, quod oratio cadit ſub præcepto, & determinate, & indeterminate, determinate quidem ad aliquas orationes ex præcepto tenentur illi, qui ex officio ſunt medii, inter Deum, & populum conſtituti, ſicut miniſtri Eccleſiæ, unde ex officio eis incumbit preces ad Deum in perſona totius Eccleſiæ fundere, & ideò ex ſtatuto Eccleſiæ tenentur ad horas canonicas dicendas. *Nota ergo, quod diſtributio horarum eſt ab Eccleſia, ſed obligatio ſimpliciter eſt ab ordine ſuſcepto: ergo ſi Eccleſia non diſtribuiſset horas canonicas, jam clericus adhuc teneretur ad aliquam ſaltem orationem, ſi totaliter id non vetet infirmitas.*

Neque potuiſset ab omni oratione ceſsare ſine crimine, nam ut ſubdit S. D. ibid. ar. 2. *quæſt.* 1. *in c.* dicendum ad primum, quod duplex eſt oratio, ſcilicet privata, quam quiſque pro ſe facit, & publica, quæ facienda incumbit miniſtris Eccleſiæ, ut dictum eſt. Et quia hæc publica oratio non fit ab orante ſolum pro ſe, ſed pro aliis, ideo non debet ſolum eſſe mentalis, ſed vocalis, quod autem eſt pro aliis nequit ommitti, ſine illorum damno, & injuria; *igitur qui ommiſit partem orationis, vel officii debiti, quam poteſt recitare reus eſt, etiam reſtitutionis fructuum, ſi ex hoc habeat illos,* ait enim S. D. quol. 6. ar. 8. in c. quod ad officium mortuorum, tenetur clericus beneficiatus, etiam in ſcholis exiſtens, ut per hoc ſatisfaciat mortuis quorum recepit bona.

Ne-

Digitized by Google

Neque valet dicere, quod major pars ommiſsa, vel non recitata ſine crimine, ſic etiam trahat ſecum minorem: quia ubi agitur de re ſacrificabili Deo, ſi non tota, vel non tam digna, ſaltim minor voluit Deus, ut ſibi Sacrificaretur, ut ex Divina ſcriptura refert S. D. p. 2. q. 102. ar. 3. ad 12. dicendum, quod lex in Sacrificiis providere voluit paupertati offerentium, ut qui non poſſet habere animal quadupes, ſaltem offerret avem, quam qui habere non poſſet ſaltem offerret panem, & ſi hunc habere non poſſet, ſaltem offerret farinam, vel ſpicas. *Idipſum igitur erit judicium concludendum de Sacrificio in Officio Divino contento, & in ſeptem horas canonicas diſtributo, quarum ſi unam nequeat clericus, potens autem alteram, cammet Deo Sacrificare tenetur.*

LV.

Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per Sacrilegam Domini manducationem.

OPponit S. D. in 4. diſtinct. 12. quæſtion. 3. articul. 1. quæſtiunc. 3. in c. ad 3. quæſtionem dicendum, quòd ſecundum diverſos ſtatus fidei, diverſus mos de hoc inolevit. Nam in primitiva Eccleſia quando vigebat devotio major ex propinquitate paſſionis Chriſti, & erat major impugnatio ab infidelibus, quia hæc menſa adverſus tribulationes. Eccleſię pręparatur, quotidie communicandum fidelibus indicebatur. Unde Calixtus Papa dicit. Peracta conſecratione omnes communicent, qui nolunt Eccleſiaſticis carere limitibus. Sic enim Apoſtoli ſtatuerunt. Poſtmodum indictum fuit, ut ſaltem ter in anno communicarent, ut dictum eſt, propter ſolemnitatem illorum dierum, ſed poſtmodum arctatum eſt, ut ſaltem ſemel in anno, ſcilicet in Paſcha communicent, & ad hoc etiam multi idonei non inveniuntur. *Sic ergo* ad hoc pręceptum idonei eſſe debemus, non enim ſumitur in Paſcha Euchariſtia, niſi ut præcepta, ergo qui non idonei accederent, ſicut & nullatenus, ob id quod idonei non ſunt nullatenus accederent, præceptum eomet pacto non adimplent, quod & magis liquet, ex fruſtratione finis intantum enim præcipitur, ut ait S. D. hic art. 2. quæſtiuncu. 1. in c. Reſpondéo, dicendum, ad 1. quæſtion. quod nulli licet omnino à communione ceſſare, quia Eccleſia ſtatuit tempus, in quo fideles communicare debent male, qui omnino deſiſtunt, efficiuntur rei trangreſſionis præcepti. Inſtitutio autem Eccleſiæ fuit neceſſaria, quia enim in quotidiana pugna ſumus vita ſpiritualis in nobis evaneſceret, niſi aliquando cibum vitæ ſume-

Digitized by Google

ſumeremus. *Cum igitur ſumens indigne vitæ ſpirituali non ſuccurrit, ſed magis in morte ſe confirmat, ſi peccat fidelis omnino ceſſando, ob hanc rationem, quod vitæ ſpirituali non ſuccurrit, & contra præceptum facit, multo magis contra idem præceptum faciet, qui præceptum Eccleſiæ, ſicut oportet non adimplens ad vitam ſpiritualem non reſurgit, ſed per novum crimen in majori mortis æternæ periculo ſe condemnat, Eccleſiæ finem totaliter ſic fruſtrando, & ſi hæc non ſufficiunt, addenda erunt ad ubertatem oppoſitionis, quæ S. D. habet* 3. par. quæ. 80. art. 11. *ubi proponit* 3. *arg. ſic.* Peccatores non tenentur communicare: unde Fabianus Papa cum dixiſſet Ter in anno omnes Communicent adjunxit, niſi forte majoribus criminibus impediatur. Si ergo illi qui non ſunt in peccato tenentur communicare, videtur quod melioris conditionis ſint peccatores, quam juſti, quod eſt inconveniens, ergo videtur: quod etiam juſtis liceat à Communione ceſſare. *Et reſpondet ſic S. D.* ad 3. dicendum, quòd peccatores magnum detrimentum patiuntur, ex hoc quod repelluntur à perceptione hujus Sacramenti, unde non per hoc ſunt melioris conditionis, & licet in peccatis permanentes non excuſentur, propter hoc à transgreſſione præcepti, pœnitentes tamen, qui, ut Innocen. dicit ſecundum Conſilium Sacerdotis abſtinent, excuſantur. *Excuſantur* igitur pœnitentes abſtinentes ex Conſilio Sacerdotis differentis nempe communionem, ſed non accedentes ſine pœnitentia, *igitur ſatis apparet nullatenus rationabilem eſſe præmiſſam propoſitionem, neque tanto myſterio dignam, præceptoque Eccleſiæ infeſtam.*

LVI.

Frequens confeſſio, & Communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.

OPponit S. D. in 4. diſt. 12. quæ. 3. ar. 2. quæſtiun. 3. in c. ad 3. quæſtion. dicendum, quòd in his, quæ ſunt ex genere ſuo bona peccatum non accidit niſi ex aliquo accidente, dum inordinatè explentur, & ideò in eis perficere per ſe bonum eſt, ſed abſtinere ab eis non eſt bonum, niſi ratione accidentis alicujus. Unde cum Euchariſtiam ſumere ſit bonum ex genere, aſſumere etiam eſt bonum per ſe, abſtinere autem eſt bonum per accidens, inquantum ſcilicet timetur ne inordinate ſumatur, & quia, quod eſt per ſe præjudicat ei, quod eſt per accidens, ideò ſimpliciter loquendo melius eſt Euchariſtiam ſumere, quam ab ea abſtinere, ſed in caſu aliquo nihil prohibet eſſe melius abſtinere, quando aliquis probabi-

babiliter præſumi, & ſumptione reverentiam minui, ſi autem hæc duo adinvicem comparemus, adhuc invenitur prævalere ſumptio Sacramenti abſtinentiæ à Sacramento, tum ratione effectus Sacramenti, tum ratione præparationis, quantulacumque ſit, tum etiam ratione virtutis elicientis actum, quia ſumere videtur eſſe charitatis, in qua radix meriti conſiſtit, abſtinere autem timoris, amor autem timori prævalet; *Atqui in his, qui gentiliter vivunt, neque eſt hæc minima portio charitatis, per quam Chriſto per Euchariſtiam in hac vita Chriſto incorporentur, igitur neque ullum in hoc erit ſignum participandæ in altero ſæculo ejus gloriæ.*

LVII.

Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem modo honeſtam.

OP. S. D. in 3. d. 23. q. 3. ar. 3. in c. ait. Nulla potentia ſecundum ſuam naturam determinatur ad illa, quæ ſunt ſuprà naturam; *ergo cum attritio ſit merè naturalis, & contritio ſupernaturalis nullo modo erit honeſta ſufficiens.* Unde S. D. in 4 d. 17. q. 2. ar. 1. quæſt. 3. in c. dicendum, quod ſuper hoc eſt duplex opinio, quidam enim dicunt, quod attritio fit contritio, ſicut fides informis fit formata, ſed hoc, ut videtur non poteſt eſſe, quia quamvis habitus fidei informis fiat formatus, nunquam tamen actus fidei informis, fit actus fidei formatæ: quia actus ille informis tranſit, & non manet veniente charitate. Attritio autem, & contritio non dicunt habitum, ſed actum tantum, habitus enim virtutum infuſarum; qui voluntatem reſpiciunt non poſſunt eſſe informes, cum charitatem conſequantur, ut in 3. lib. dictum eſt; Unde antequam gratia infundatur non eſt habitus, à quo actus contritionis poſtea elicitur, & ſic nullo modo attritio poteſt fieri contritio. *Ex quibus multo minus, id poterit contingere in contritione naturali; cum hoc tamen ſtat, quod poſſit homo virtute clavium gratiam in Sacramento percipere accedens attritus, licet non fiat formaliter contritus, ut docet S. D. in 4. d. 22. q. 2. art. 1. quæſt. 3. in 4.* quòd quando aliquis accedit ad confeſſionem attritus non plene contritus, ſi obicem non ponat in ipſa confeſſione, & abſolutione, ſibi gratia, & remiſſio peccatorum datur. *Cum ergo ad minus debeat homo attritus accedere attritione ſupernaturali illa, quæ mere naturalis eſt, nullo modo erit ſufficiens, nam ut ait S. D. 3. p. q. 90 a.2. in c. & iterum S. D. in 3. d. 28. q. 1. a. 1. ad 3.* amicitia requirit æqualitatem proportionis, *ſed in attritione naturali nulla eſt proportio, igitur bene proſcribitur præmiſſa propoſitio.*

Non

Digitized by Google

LVIII.

Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.

OPponit S. D. 1.2. q. 105. ar. 2. ad 9. dicendum, quòd non ſolum propter gravitatem culpæ, ſed etiam propter alias cauſas gravis pęna infligitur. Prima quidem propter gravitatem peccati, quia majori peccato, cæteris paribus, pęna gravior debetur. Secundo propter peccati conſuetudinem, quia à peccatis conſuetis non faciliter homines abſtrahuntur, niſi per graves pęnas. *Atqui ſi conſuetudo taceri poſſet obnoxia pœnæ non videretur, ergo cum ei gravis pœna debeatur, ex titulo conſuetudinis, liquido conſtat de falſitate præmiſſæ propoſitionis, quam ulterius evertit* S. D. p. 2. q. 18. a. 11. in c. ubi ait. Tollere aliquid in magna quantitate, vel parva non reſpicit ordinem rationis in bono, vel malo, niſi præſuppoſita aliqua alia conditione, per quam actus habeat malitiam, vel bonitatem, puta hoc, quod eſt eſſe alienum, quod repugnat rationi. Unde tollere alienum, in magna, vel parva quantitate, non diverſificat ſpeciem peccati, tamen poteſt aggravare, vel diminuere peccatum. Et ſimiliter eſt in aliis malis, vel bonis unde non omnis circumſtantia addens in bonitate, vel malitia variat ſpeciem moralis actus. *Atqui conſuetudo ſaltim aggravaret peccatum; igitur idem, quod prius, & id evincitur*, à S. D. 2. 2. quæſtion. 14. articul. 2. in c. ubi ait. Ex parte verò peccati duo ſunt, quæ hominem à peccato retrahere poſſunt, quorum unum eſt inordinatio, & turpitudo actus, cujus conſideratio inducere ſolet in homine pœnitentiam de peccato commiſſo, & contra hoc ponitur impœnitentia, non quidem eo modo, quo dicitur permanentia in peccato, uſque ad mortem, ſicut ſuprà impœnitentia accipiebatur (ſic enim non eſſet ſpeciale peccatum, ſed quædam peccati circumſtantia) ſed accipiatur, hic impœnitentia ſecundum quòd importat propoſitum non pœnitendi; *Ex quibus concludit S. D. talem impęnitentiam eſſe, unam ex ſpeciebus peccatorum contra Spiritum Sanctum, nam qui conſuetudinem non vult in Sacramento palam facere, jam peccatum dimitti non vult: & hæc eſt impęnitentia, i. peccatum ex certa malitia, & contrà Spiritum Sanctum, ſaltim reductivè.*

Licet

LIX.

Licet Sacramentaliter abſolvere dimidiatè tantum confeſſos, ratione magni concurſus Pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicujus feſtivitatis, aut Indulgentiæ.

OP. S. D. Op. 64. c. 4. Reſpondeo dicendum, quòd nec dicas partem uni confeſſori, & partem alteri, quia nullo modo debes dividere. *Et hoc idem* prohibitum eſſe etiam in occaſione peccati reſervati, dum ait in 4. d. 17. q. 3. ar. 4. quæſt. 2. ad 4. dicendum, quòd etiamſi Sacerdos non poſſit de omnibus abſolvere, tenetur ſibi omnia confiteri, ut quantitatem totius culpæ cognoſcat: & de illis, de quibus non poteſt abſolvere, ad ſuperiorem remittat; & ibid. quæſtiun. 4. in c. ex propria ratione hujus actus, qui eſt confeſſio, habet, quod ſit manifeſtativa, quæ quidem manifeſtatio per quatuor impediri ſolet. Primò, &c. Quartò, ut non ſubtrahatur aliquid de his, quæ manifeſtanda ſunt, & contra hoc dicitur integra.

LX.

Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio; dummodò ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem.

OP. S. D. 3. p. q. 90. a. 3. ad 1. dicendum, quod contritio ſecundum eſſentiam quidem eſt in corde, & pertinet ad interiorem pœnitentiam; virtualiter autem pertinet ad exteriorem pœnitentiam, inquantum ſ. implicat propoſitum confitendi, & ſatisfaciendi.

LXI.

Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult ommittere, quinimmò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.

OP. S. D. 4. contra Gent. c. 72. Reſpondeo dicendum, quòd non hoc poſſunt prælati Eccleſiæ, ut claves fruſtrentur Eccleſiæ, in quibus tota eorum poteſtas conſiſtit. Neque ut ſine Sacramento à paſſione Chriſti virtutem habente, aliquis remiſſionem peccatorum conſequatur, hoc enim eſt ſolius Chriſti, qui eſt Sacramen-

torum inſtitutor, & auctor. Sicut igitur diſpenſari non poteſt per prælatos Eccleſiæ, ut aliquis ſine baptiſmo ſalvetur: ita nec quod aliquis remiſſionem ſine confeſſione, & abſolutione conſequatur. *Atqui in tali caſu fruſtrarentur claves in homine non habente contritionem, nam ad ipſam, ut ait.* S. D. 4. contra Gent. c. 72. nihil prohibet, quin aliquando virtute clavium alicui confeſſio in ipſa abſolutione gratia conferatur, per quam ei culpa dimittitur. Quia igitur in ipſa confeſſione, & abſolutione plenior effectus gratiæ, & remiſſionis confertur ei, qui prius propter bonum propoſitum utrumque obtinuit, manifeſtum eſt, &c. Et ulterius debilitas naturalis boni curatur, dum homo à malis abſtinet, & bonis aſſueſcit Deo Spiritum ſubjiciendo per orationem, carnem verò domando per jejunium, ut ſit ſubjecta ſpiritui, & hoc ipſum confirmat in 4. di. 15. qu. 1. quæſtiun. 3. ad 1. dicendum, quòd accipiendæ ſunt cauſę proximæ peccati actualis, quæ dicuntur duo, ſcilicet libido ex conſuetudine, vel actu peccati relicta, & aliquæ reliquiæ peccati præteriti, & exteriores occaſiones ad peccandum, ut locus, ſocietas mala, & hujuſmodi, & tales cauſæ in hac vita per ſatisfactionem tolluntur. *Atqui* ſatisfactio præſupponit cæteras partes pœnitentiæ gratiam conferentis, enumeratas à S. D. in 3. p. q. 90. ar. 2. cum quibus peccatum ſtare non poteſt, ut repetit S. D. 3. p. q. 90. a. 2. in c. Reſpondeo dicendum, quòd impoſſibile eſt peccatum actuale mortale ſine pœnitentia remitti, loquendo de pœnitentia, quæ eſt virtus, & rationem infra adducit, quia offenſa peccati mortalis procedit ex hoc, quod voluntas hominis eſt averſa à Deo per converſionem ad aliquod bonum commutabile; *Atqui vivens in occaſione proxima in tali defectiva converſione ſe habet, igitur nullo pacto valet ſuſtineri præmiſſa propoſitio.*

LXII.

Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honorata non fugiendi occurrit.

OP. S. D. in 4. d. 15. q. 1. ar. 1. quæſt. 3. ad 2. dicendum, quòd quia cauſa mali, vel privationis, eo modo quo cauſam habet, non eſt, niſi bonum deficiens, bonum autem facilius tollitur, quam conſtruatur, ideò facilius eſt cauſam privationis, aut mali abſcindere, quam ipſum malum removere, quod non removetur, niſi per conſtructionem boni. *Atqui cauſa non eſt utilis, neque honeſta, ſi dat occaſionem proximam peccandi, igitur, &c. nam ut ait* S. D. p. 2. q. 18. ar. 9. ad 2. Nos autem hic dicimus malum communiter,

niter, omne quod eſt rationi rectæ repugnans, quod & magis explicat 2. 2. q. 145. a. 3. ad 3. dicendum, quod intentio Tulii, & Ambroſii eſt dicere, quod nihil poteſt eſſe ſimpliciter, & verè utile, quod repugnat honeſtati, quia oportet, quod repugnet ultimo fini hominis, quod eſt bonum ſecundum rationem, quamvis poſſit fortè eſſe utile ſecundum quid reſpectu alicujus finis particularis, non autem intendunt directè, quod omne utile in ſe conſideratum pertingat ad rationem honeſti, *ut præſumit præmiſſa jam confutata propoſitio*.

LXIII.

Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi, pro bono Spirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.

OP. S. D. 1. 2. q. 155. a.3. in c. Reſpondeo dicendum, quod honeſtum concurrit in idem ſubjecto cum utili, & delectabili, à quibus tamen differt ratione, dicitur enim aliquid honeſtum, ſicut dictum eſt, inquantum habet quendam decorem ex ordine rationis, hoc autem, quod eſt ſecundum rationem ordinatum, eſt naturaliter conveniens homini. Unumquodque autem naturaliter delectatur in ſuo convenienti, & ideò honeſtum eſt naturaliter homini delectabile, ſicut de operatione virtutis Phil. probat in 1. Eth. Non tamen omne delectabile eſt honeſtum, quia poteſt etiam aliquando conveniens eſſe ſecundum ſenſum, & non ſecundum rationem, ſed hoc delectabile eſt præter hominis rationem, quæ perficit naturam ipſius. Ipſa etiam, &c. In pluribus tamen eſt delectabile quam utile, & honeſtum, quia omne utile, & honeſtum, eſt aliqualiter delectabile, ſed non convertitur, ut dicitur in 2. Ethicor. & propterea ad primum dicendum, quòd honeſtum dicitur, quod propter ſe appetitur appetitu rationali, qui tendit in id, quod eſt conveniens rationi, delectabile autem propter ſe appetitur appetitu ſenſitivo. *Si ergo abſolute non licet appetere niſi id, quod vere eſt honeſtum, utile, & delectabile ſecundum rationem, & non ſecundum ſenſum, multo magis id repugnabit in ſtudio quærentis ob id cauſam proximam peccandi, & ſic evertitur præmiſſa propoſitio.*

LXIV.

Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat Myſterium Sanctiſs. Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti.

OPponit S. D. 2. 2. qu. 2. ar. 8. in c. Reſpondeo dicendum, quòd myſterium incarnationis Chriſti explicite credi non poteſt ſine fide Trinitatis, quia in myſterio incarnationis Chriſti hoc continetur, quod filius Dei carnem aſſumpſerit, quod per gratiam Spiritusſancti mundum renovaverit, & iterum, quòd de Spiritusſancto conceptus fuerit, & ideò eodem modo, quo myſterium Incarnationis Chriſti ante Chriſtum fuit explicite creditum à majoribus, implicite autem, & quaſi obumbrate à minoribus, ita etiam & myſterium Trinitatis. Et ideo etiam poſt tempus gratiæ divulgatæ tenentur omnes ad explicite credendum myſterium Trinitatis, & omnes, qui renaſcuntur in Chriſto, hoc adipiſcuntur per invocationem Trinitatis, ſecundum illud Mat. ult. Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritusſancti. *Ex quibus bene proſcribitur præmiſſa propoſitio.*

LXV.

Sufficit illa Myſteria ſemel credidiſſe.

OPponit S. D. 2. 2. q. 2. art. 5. in c. ait Quantum ergo ad prima credibilia, quæ ſunt articuli fidei, tenetur homo explicite credere, ſicut & tenetur habere fidem, *ſed habere fidem explicitam, non ſalvatur niſi per actum præſentem, igitur non ſufficit illa ſemel credidiſſe, quod & amplius explicat S. D. ad Ro. 1. Lect. 6. ad ea verba ex fide in fidem.* Vel poteſt intelligi ex fide prædicatorum, in fide auditorum infra 11. quommodò credent ei, qui non audierunt? Vel ex fide unius articuli in fidem alterius, quia ad juſtificationem, requiritur omnium articulorum fides, & iterum ibidem poſt pauca. Quarto conſiderandum eſt, quod ſicut corpus vivit per animam vita naturali, ita anima vivit per Deum vita gratiæ. Primo autem Deus animam inhabitat per fidem Eph. 3. Habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris, nec tamen eſt perfecta habitatio, niſi per charitatem ſit formata, quę per vinculum perfectionis nos unit Deo, ut dicitur Col. 3. *Et ideò quod dicit hic ex fide*

vivit,

Digitized by Google

vivit, intelligendum eſt de fide formata. Cum ergo vita naturalis in continuo motu, atque actu conſiſtat: ita animæ vita, quæ per fidem habetur, non ſufficit in ſimplici actu conſervari: ex quibus, & multis aliis locis à S. D. adductis ad profligandas in hac tertia diſſertatione conſimiles proſcriptas propoſitiones, clare conſtat, quid etiam de hac veniat ſentiendum.

DECRETUM.

Feria v. die 24. Auguſti 1690.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanct. D. N. D. ALEXANDRO Divina Providentia Papa VIII. ac Eminentiſſ. & Reverendiſſ. D. D. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana adverſus hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

SAnctiſſimus D. N. ALEXANDER Papa VIII. non ſine magno animi ſui mærore audivit duas Theſes, ſeù Propoſitiones, unam denuò, & in majorem Fidelium perniciem ſuſcitari, alteram de novo erumpere; Et cùm ſui Paſtoralis Officii munus ſit Oves ſibi creditas à noxiis paſcuis avertere, & ad ſalutaria ſemper dirigere, dictarum Theſium, ſivè Propoſitionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſedulò commiſit, qui pluries re mature diſcuſſa infraſcriptis Theſibus, ſeù Propoſitionibus ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſingillatim expoſuerunt.

I. Bonitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali. Formalis verò in conformitate actus cùm regula morum. Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè. *Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis.*

II. Peccatum philoſophicum, ſeù morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale eſt tranſgreſſio libera Divinæ legis. Philoſophicum

quan-

Digitized by Google

quantumvis grave in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pęna dignum.

Quibus peractis, Sanctiſſimus omnibus plenè, & maturè conſideratis, Primam Theſem, ſeù Propoſitionem declaravit hęreticam, & uti talem damnandam, & prohibendam eſſe, ſicuti damnat, & prohibet ſub Cenſuris, & pęnis contra Hæreticos, & eorum fautores in Jure expreſſis; Secundam Theſem, ſeù Propoſitionem declaravit, ſcandaloſam, temerariam, piarum aurium offenſivam, & erroneam, & uti talem damnandam, & prohibendam eſſe, ſicuti damnat, & prohibet, ita ut quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam diſputaverit publicè, ſeù privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in Excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam Dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi. Inſuper diſtrictè in virtute Sanctę obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus cujuſque conditionis, Dignitatis, ac Status etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictam Theſem, ſeù Propoſitionem ad praxim deducant.

Loco ✠ Sigilli.

Alexander Speronus S. Romanæ, & Univ. Inquiſ. Not.

Die 24. Aug. 1690. ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum Palatii S. Officii, in acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Perinum SS. D. N. Papę, & Sanctiſſ. Inquiſ. Curſorem.

I.

Bonitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti, cum natura rationali. Formalis verò in confirmitate actus cum regula morum. Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè. Hunc homo non tenetur amare, neq; in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis.

OPponit S. D. 1. 2. q. 100. arti. x. ad 2. dicendum, quòd ſub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde,

de, ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum, & ideò præceptum charitatis implere homo non poteſt, niſi etiam omnia referantur in Deum: Sic ergo, qui honorat parentes, tenetur ex charitate, non ex vi hujus præcepti, quod eſt honora parentes, ſed ex vi hujus præcepti: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; & cum iſta ſint duo præcepta affirmativa, obligantia ad ſemper, poſſunt pro diverſis temporibus obligare, *ergo* homo non ſola virtute morali, ſed Teologica pro diverſis temporibus Deum amare tenetur. *Quod & amplius expendit* S. D. 1. 2. q. 109. ar. 3. *in quo quærit*, *v.* homo poſſit diligere Deum ſuper omnia ex ſolis naturalibus, ſine gratia, & in fine corporis hæc habet. In ſtatu naturæ corruptæ homo ab hoc deficit ſecundum appetitum voluntatis rationalis, quæ propter corruptionem naturæ, ſequitur bonum privatum, niſi ſanetur per gratiam Dei: & ideò dicendum eſt, quòd homo in ſtatu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ ſuperadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum ſuper omnia, licèt indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis: ſed in ſtatu naturæ corruptæ indiget homo, etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam ſanantis, *ergo habes*, *quod quantumvis homo moraliter vivat*, *non ſufficit pro adimplendo charitatis præcepto*, *niſi gratia Dei adjuvetur*, *falſo enim fundamento*, *& in ſola arena*, *hæc domus ædificata conſurgit*.

II.

Peccatum Philoſophicum, ſeu morale eſt actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum verò, & morale eſt tranſgreſſio libera Divinæ legis: Philoſophicum quantumvis grave in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat; eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

OPponit S. D. 1. 2. q. 71. ar. 6. in c. Reſpondeo dicendum, quòd, ſicut ex dictis patet, peccatum, nihil aliud eſt, quam actus humanus malus, quod autem aliquis actus ſit humanus, habet ex hoc, quod eſt voluntarius: ſicut ex ſuprà dictis patet, ſive ſit voluntarius, quaſi à voluntate elicitus, ut ipſum velle, vel eligere, ſive quaſi à voluntate imperatus, ut exteriores actus, vel loqutionis, vel operationis: habet autem actus humanus, quod ſit malus ex eo, quod caret debita commenſuratione; omnis autem commen-
ſura-

ſuratio cujuſcumq; rei attenditur per commenſurationem ad aliquam regulam: regula autem voluntatis humanæ eſt duplex: una propinqua & homogenea, ſ. ipſa humana ratio: alia verò eſt prima regula, ſ. lex æterna, quæ eſt quaſi ratio Dei, & ideò Aug. in definitione peccati poſuit duo, unum quod attinet ad ſubſtantiam actus humani, quod eſt quaſi materiale in peccato, cum dixit dictum, vel factum, vel concupitum: aliud autem, quod attinet ad rationem mali, quod eſt quaſi formale in peccato, cum dixit contra legem æternam: *Quæ quidem verba radicitus evertunt præmiſſam ſententiam: peccatum enim Philoſophicè conſideratum, ad modum materiæ ſe habet, formam ſuſcipiendo ab ipſa lege æterna, à qua deviatur.*

Quod ut clarius fiat, proponamus argumentum 5. *ibidem poſitum ſic*. Peccatum ſignificat malum hominis actum, ut ex dictis patet, ſed malum hominis eſt contra rationem eſſe, ut Dionyſ. dicit 4. c. de div. nom. ergo potius debuit dici, quod peccatum ſit contra rationem, quam quod peccatum ſit contra legem æternam: *cui quidem occurrit S. D.* ad 5. dicendum, quòd à Theologis conſideratur peccatum præcipuè, ſecundum quòd eſt offenſa contra Deum: à Philoſopho autem morali, ſecundum quòd contrariatur rationi, & ideò Aug. convenientius definit peccatum ex hoc, quòd eſt contra legem æternam, quam ex hoc, quod eſt contra rationem, præcipuè cum per legem æternam regulemur in multis, quæ excedunt rationem humanam, ſicut in his, quæ ſunt fidei; *Hæc S. Doct. mirificè, ex quibus apertè habes, quod ſi Aug. definiviſſet peccatum eſſe contra rationem humanam, definiviſſet illud diminute tantum, nempè in eo, quod deviat à proxima regula, quæ eſt ratio humana, in qua ſiſtendum non eſt, ut peccatum ſimpliciter definiatur.*

Cum verò dicitur, quod peccatum Philoſophicum quantumvis grave in illo qui Deum ignorat, &c. docet S. D. 1. 2. q. 76. a. 2. ad 1. quod dicitur dictum, vel factum vel concupitum, ſunt intelligendę etiam negationes oppoſitę ſecundum quod omiſſio habet rationem peccati, & ita negligentia, ſecundum quod ignorantia eſt peccatum, continetur ſub prædicta definitione peccati, inquantum prætermittitur aliquid, quod debuit dici, vel fieri, vel concupiſci ad ſcientiam debitam aquirendam, *& docet in c. quod* omnes tenentur ſcire communiter ea quę ſunt fidei; & univerſalia juris præcepta: ſinguli autem *ea*, quę ad eorum ſtatum, vel officium ſpectant, *ergo qui ſic Deum ignorat ne dicam Philoſophicè, ſed ſupra, & Theologicè peccat, quia per legem æternam regulamur in multis, quæ excedunt rationem humanam ſicut in his, quæ fidei ſunt.*

Et

Digitized by Google

Et cum dicitur, vel de Deo actu non cogitat, *docet S. D. qu.* 16. *de Malo ar.* 2. *ad* 4. ſemper in peccato defectus intellectus, vel rationis, vel voluntatis proportionabiliter ſe comittantur, *igitur peccatum philoſophicum tranſit ad Theologicum, pręcipue in caſu noſtro, nam ut ait S. D. de malo qu.* 1. *ar.* 3. hoc ipſum, quod non eſt attendere actu ad talem regulam (*i. rationis*) in ſe conſideratam non eſt malum, nec culpa, nec pęna, quia anima non tenetur nec poteſt attendere ad hujuſmodi regulam ſemper in actu, ſed ex hoc accipit primo rationem culpæ, quod ſine actuali conſideratione regulæ, procedit ad hujuſmodi electionem. Sicut artifex non peccat in eo, quod non ſemper tenet menſuram, ſed ex hoc, quod non tenens menſuram procedit ad incidendum, *ergo multo magis Theologicè peccabit, qui æternę menſuræ manum non adaptat, docet enim S. D.* 1. 2. *q.* 21. *art.* 1. *in c.* In his, quæ aguntur per voluntatem regula proxima eſt ratio humana, regula autem ſuprema eſt lex ęterna, quandocumque ergo actus hominis procedit in finem ſecundum ordinem rationis (*Nota*) & legis æternæ tunc actus eſt rectus, quando autem ab hac rectitudine obliquatur tunc dicitur peccatum, *inquam Theologicum, & non merè philoſophicum & id ipſum confirmat* 12. *qu.* 19. *ar.* 4. *in c.* quod autem ratio humana ſit regula voluntatis humanę, ex qua ejus bonitas menſuretur, habet ex lege æterna, quę eſt ratio Divina: unde in Pſ. 4. dicitur multi dicunt quis oſtendit nobis bona? ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, quaſi diceret lumen rationis, quod in nobis eſt, intantum poteſt nobis oſtendere bona, & noſtram voluntatem regulare, inquantum eſt lumen vultus tui, i. à vultu tuò derivatum, unde manifeſtum eſt, quod multo magis dependet bonitas voluntatis humanæ à lege æterna, quam à ratione humana, & ubi deficit ratio humana, oportet ad rationem æternam recurrere.

Ex quibus benè penſatis ille, qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, peccat Deum ignorando, & graviter, ſicut vel de Deo non cogitando, cùm debet, ideſt Divina regula non utendo (ſaltem habitualiter Deum diligendo, ut docet S. D. 2. 2. q. 24. artic. 8. in c. ita quod habitualiter aliquis totum cor ſuum ponat in Deo, ita, ſcilicet, quod nihil cogitet, vel velit, quod Divinæ dilectioni ſit contrarium, & hæc perfectio eſt communis omnibus charitatem habentibus) *dum in operationes exit humanas, ne dum Philoſophicè, ſed imò Theologicè* (*ab ejus enim objecto formaliter denominatur peccatum*) *peccati labe inficiatur. Unde peroptimè proſcripta venit præmiſſa propoſitio, quæ ſi locum haberet homines*

R redde-

redderet impeccabiles, ex oppoſito licet motivo, ac ex Moliniſmo, *quod ubi* Molina *ex nimia adhæſione, hæc autem poſitio ex ſumma elongatione à Deo impeccabilitatem callide ſtatuere conatur.*

Sequentium Propoſitionum proſcriptio confirmata fuit à S. D. N. Innocent. XII. in Brev. ad Epiſcopos Belgii de An. 1694. die 6. Februarii.

I.

Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.

OPponit S. D. 3. p. q. 68. ar. 6. ad 3. Minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & mereri vitam æternam; & iterum qu. 70. art. 4. in c. Minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in tranſgreſſione mandatorum legis, minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri, & argenti, *& ſic patet quid ſentiendum ſit de curſu ordinario juſtificati hominis, de quo etiam.* S. D. 1.2. q. 109. art. 4. in c. ait Alio modo poſſunt impleri mandata legis, non ſolum quantum ad ſubſtantiam operis, ſed etiam quantum ad modum agendi, ut ſcilicet ex charitate fiant, & ſic neque in ſtatu natuæ integræ, neque in ſtatu naturæ corruptæ poteſt homo implere abſque gratia legis mandata: Unde Aug. lib. de Cor. & gratia cum dixiſſet, quod ſine gratia nullum prorſus bonum homines faciunt, ſubdit, non ſolum, ut monſtrante ipſa, quid faciendum ſit ſciant, verum etiam, ut præſtante ipſa faciant, cum dilectione, quod ſciunt: indigent inſuper in utroq; ſtatu auxilio Dei moventis ad mandata implenda, ut dictum eſt, *ergo ex vi gratiæ nullum eſt juſto impoſſibile præceptum*: nam ut docet S. D. ibidem ad 2. illud, quod poſſumus cum auxilio Divino, non eſt nobis omninò impoſſibile, ſecundum illud Phil. in 3. Eth. quod per amicos poſſumus, aliqualiter nos poſſumus.

Si verò ſit ſermo de quibuſdam gravibus tentationibus, quærit S. D. 1. 2. q. 109. a. 9. ℣. Ille, qui jam conſequutus eſt gratiam, per ſeipſum poſſit operari bonum, & vitare peccatum abſque auxilio gra-

gratiæ, & in c. *hæc habet*, & ideò neceſſe eſt nobis, ut à Deo dirigamur, & protegamur. *Non ergo debuit exponi inter Catholicos ſenſus calvini dicentis, Legis Dei implementum eſſe impoſſibile, in medium proferre.*

II.

Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

OP. S. D. 1. 2. q. 106. artic. 2. ad 2. Si quis poſt acceptam gratiam novi teſtamenti peccaverit, majori pœna eſt dignus, tanquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio ſibi dato non utens, & 3. contra Gent. c. 159. ad hujus dubitationis ſolutionem conſiderandum eſt, quod licet aliquis per motum liberi arbitrii Divinam gratiam, nec promereri, nec acquirere poſſit: poteſt tamen ſeipſum impedire ne eam ſuſcipiat: dicitur enim de quibuſdam Job. 21. Dixerunt Deo: recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus, & Job 24. ipſi fuerunt rebelles lumini: & cum hoc ſit in poteſtate liberi arbitrii impedire Divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, non immeritò in culpam reputatur ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni, Deus enim quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ut dicitur 1. ad Tim. 2. ſed illi ſoli gratia privantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimenta præſtant, ſicut ſole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur, licet videre non poſſit, niſi lumine ſolis præveniatur. *Quid clarius adverſus præmiſſam ſententiam?*

Addit etiam S. D. ad Teſſal. c. 1. lect. 2. Aliquis dicitur extinguere ſpiritum in ſe, vel alio, cum alius aliquid boni ex fervore Spiritus Sancti vult facere, vel etiam, cum aliquis bonus motus in ipſo ſurgit, & ipſe impedit. Act. 7. Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis: Non enim per Spiritum Sanctum inhabitantem tollitur facultas peccandi à libero arbitrio totaliter in vita præſenti; Inſuper in quol. 2. art. 6. ubi reſolvens ℣. homines credere debuiſſent, Chriſto miracula non faciente? inter alia, hæc habet: tenebantur interiori gratiæ non reſiſtere: Verumtamen aſſignat S. D. in quo iſta reſiſtentia conſiſtat in 4. d. 11. q. 1. ar. 3. quæſtiun. 3. ad 2. ait. In operationibus Divinis non attenditur difficultas, ſecundum reſiſtentiam ad agentem, ſed ſecundum impedimentum effectus: *ergo non eſt cur ſtabiliatur præmiſſa propoſitio impiè deſtruendo gratiæ ſufficientis auxilium.*

III.

Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

H*Æc propoſitio* radicem habet in Calvino, qui (licet conſentiat cum Luthero in neganda arbitrii libertate) diſſentit tamen ab illo concedens aliquam activitatem libero arbitrio creato, in ordine ad ſupernaturales actiones, unde fatebatur non ſe habere mere paſſivè, nec inanimate concurrere, tamen (Nota) neceſſario, & non libere à Divina Gratia moveri, ſicut equus à ſeſſore neceſſario gubernatur. Contra quam ſententiam Con. Trid. Seſſ. 6. de Juſt. C. 5. determinavit, hominem ne dum ſpontanee, ſed etiam libere cum Divina Gratia operari. Et id quidem congruenter ad doctrinam S. D. qui 1.2. q. 114. ubi agit ex profeſſo de merito, & in pluribus articulis ſtatuit, libertatem ad meritum requiri, unde præmiſſa referens in a. 6. in c. ait Reſpondeo dicendum, quòd ſicut ex ſupradictis patet, opus noſtrum habet rationem meriti ex duobus. Primo quidem ex vi motionis Divinæ, & ſic meretur ex condigno, alio modo habet rationem meriti ſecundum quod procedit ex libero arbitrio, inquantum voluntarie aliquid facimus. *Igitur ne dum ſpontanee, ſed etiam libere convenit homini operari*, quam quid[illegible]tem exacte invenies expoſitam in p. p. q. 83. a.3. & 4.

Quid autem ſit ſpontaneitas ait S. D. 1.2. q. 6. art. 4. in c. *ubi propoſita diſtinctione actus eliciti, & imperati, de primo ſic habet*. Quantum ad ipſum proprium actum voluntatis non poteſt ei violentia inferri, & hujus ratio eſt, quia actus voluntatis nihil eſt aliud, quam inclinatio quædam procedens ab interiori principio cognoſcente; *Quid verò libertas, docet*, p. p. queſt. 62. artic. 8. ad 3. quod liberum arbitrium diverſa eligere poſſit ſervato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus, *at ſervata ſola ſpontaneitate, & ablata electione, tollitur perfectio libertatis, igitur qui unum tollit, etiam alterum deſtruit.*

Op. etiam exemplo à Calvino adducto S. D. verba Aug. ad lit. p.2. q. 110. ar. 4. ubi proponens primum argumentum, inducit Aug. dicentem in Hiponoſticon, quod gratia comparatur ad voluntatem, ſive ad liberum arbitrium, ſicut ſeſſor ad equum, & idem confirmat in ſol. prædicti argumenti dicens, & ſecundum hoc gratia comparatur ad voluntatem, ut movens ad motum, quæ eſt comparatio ſeſſoris ad equum: *atqui ſeſſor nonniſi freno (gratuito tamen) & ſimilibus calcaribus movet, ergo per oppoſitum ſentiunt, hic duo Eccleſiæ*

Digitized by Google

Eccleſiæ Doctores eximii ex eodem exemplo à Calvino adducto. Unde S. D. ulterius in d. q. de lib. arb. a. 15. in fin. c. ait, quandocumque autem ad aliquod faciendum requiritur aliquis certus modus operationis ignotus operantis, operans indiget (Nota) gubernante (*ecce calcaria*) & dirigente (*& ecce frænum*) *quibus tamen non læditur, ſed humana juvatur libertas. De quo vide S.D.p.p.2.2.q.2.ad.1.*

Et tandem, q. 6. de malo, ubi inquirit v. homo habeat liberam electionem, aut ex neceſſitate eligat? ait Reſpondeo dicendum, quòd quidam poſuerunt, quod voluntas hominis ex neceſſitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebunt (Nota), quod voluntas cògeretur. Non enim omne neceſſarium eſt violentum, ſed ſolum id cujus principium eſt extra: Unde & motus naturales inveniuntur aliqui neceſſarii, non tamen violendi, violentium enim repugnat naturali, ſicut & voluntario, quia utriuſque principium eſt intra violenti autem principium eſt extra: Hæc autem opinio eſt hæretica: tollit enim ratione meriti, & demeriti in humanis actibus, *& infrà* ad hujuſmodi autem poſitionem ponendam, inducti ſunt aliqui homines, partim propter protervium, partim propter rationes ſophiſticas, quas ſolvere non potuerunt. *Ex quibus ad literam prævertitur præmiſſa propoſitio.*

IV.

Semipelagiani admittebat prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem, ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

OPponit S.D. *adverſus alteram hujus propoſitionis particulam, utpotè in qua venenum ſervatur*; q. 22. de ver. a. 6. ubi hæc habet. Cùm voluntas dicatur libera, inquantum neceſſitatem non habet libertas in tribus conſiderabitur, ſcilicet quantum ad actum, inquantum poteſt velle hoc, vel illud, vel ejus oppoſitum, & quantum ad ordinem finis, inquantum poteſt velle bonum, vel malum. Quantum ad primum horum, ineſt libertas voluntati, in quolibet ſtatu naturæ reſpectu cujuslibet objecti, ſecundum verò horum eſt reſpectu quorundam objectorum, ſ. reſpectu eorum, quæ ſunt ad finem, & non ipſius finis, & etiam ſecundum quemlibet ſtatum naturæ, tertium verò non eſt reſpectu omnium objectorum, ſed quorundam eorum, ſ. qui ſunt ad finem, nec verò cujuslibet ſtatus naturæ, ſed illius tantum, in quo natura deficere poteſt. *Ex quibus totius libertatis jura exponuntur, & cum S. D. pleniſſimè, & ſæpiſſimè id doceat, ſufficiat addu-*

adducere locum ex quol. 1. *ar.* 1. *ad* 1. Deus, *inquit*, movet omnia ſecundum modum eorum, & ideò divina motio à quibuſdam participatur, cum neceſſitate à natura rationali, cum libertate propter hoc, quod virtus rationalis ſe habet ad oppoſita. Et ideò ſic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod poteſt huic motioni reſiſtere. *Quo nil clariùs ad expugnandum prædictum errorem, quò falſo maſſilienſes notati ſunt.*

V.

Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

OP. S. D. 3. p. q. 79. ar. 7. ad 2. dicendum, quòd Paſſio Chriſti prodeſt omnibus quantum ad ſufficientiam, & 1. ad Tim. c. 2. ait Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis noſtris, pro aliquibus efficaciter, ſed pro omnibus ſufficienter, quia prętium ſanguinis ejus eſt ſufficiens ad ſalutem omnium, *& idipſum clarius expreſſit in* 3. *d.* 20. *q.* 1. *ar.* 1. *q.* 1. *ad* 2. dicendum, quòd hoc, quod omnes homines non reparantur, non eſt ex inſufficientia medicinæ reparantis, cum ſit ſufficiens quantum in ſe eſt ad reparandum omnes, qui naturam humanam habent, vel habere poſſunt, ſed ex defectu eorum, qui reparationis effectum in ſeipſis impediunt, *de qua re, iterùm ſermonem inſtituit* S. D. 4. c. Gent. c. 55. ſed præcipuè num. 26. hæc habet, Quamvis autem ſufficienter pro peccatis humani generis ſua morte ſatisfecerit, ut vigeſima ſexta ratio proponebat, ſunt tamen unicuique remedia propriæ ſalutis quęrenda; Mors .n. Chriſti eſt quaſi quædam univerſalis cauſa ſalutis: ſicut peccatum primi hominis fuit quaſi univerſalis cauſa damnationis: oportet autem univerſalem cauſam applicari ad unumquodq; ſpecialiter, ut effectum univerſalis cauſæ participet: effectus igitur peccati primi parentis, pervenit ad unumquemq; per carnis originem: effectus autem mortis Chriſti pertingit ad unumquemque per ſpiritualem regenerationem, per quam homini Chriſto quodammodò conjungitur, & incorporatur, & ideò oportet, quòd unuſquiſque quærat regenerari per Chriſtum, & alia ſuſcipere, in quibus mors Chriſti operatur; *Ecce igitur apertiſſimam rationem, qua ſole clarius patet Chriſti mortis ſufficientia pro omnibus inſtituta.* Hæc autem dicta ſint in honorem Dei, & Chriſti ejus.

F I N I S.

397.427

Digitized by Google

[illegible]d by Google

